# EURIPIDEA.

## DE JONE

SCRIPSIT

GEORGIUS SCHMID
DR. PH.

LIPSIAE
APUD FUESIUM (R. REISLANDUM).
MDCCCLXXXIV.

# EURIPIDEA.

## DE JONE

SCRIPSIT

GEORGIUS SCHMID
DR. PH.

LIPSIAE
APUD FUESIUM (R. REISLANDUM).
MDCCCLXXXIV.

ALTENBURGI
TYPIS OFFICINAE AULICAE PIERERIANAE
(ST. GEIBEL ET SOC.)


# DE IONE.

## I.

De initio Ionis Euripideae

*Ἄτλας, ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανὸν*
*θεῶν παλαιὸν οἶκον ἐκτρίβων,*

disseram non quo conjecturarum de his versibus numerum augendum esse censeam, sed quia lectio diversa ab ea, quae in Euripideis libris est, atque multo antiquior videtur inesse in Herculanensibus illis Philodemi de pietate fragmentis (in Coll. Alt. Neapolitana a. MDCCCLXIII, vol. II tab. 87). Primus enim A. Nauckius in Miscellaneis Graecis atque Latinis Academiae Scientiarum Petropolitanae (vol. II p. 634), editis a. MDCCCLXIV, perspexit a Philodemo citari hunc Euripidis versum, deinde quaedam Simonidea, postremo Hesiodeum (v. theog. 517) *Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης*, in quo et ipso nomen Atlantis a philosopho videtur consulto omissum esse. Quodsi consideraveris literas quae nunc reliquae sunt eaque, quibus inter se distant, spatia atque versum Hesiodeum expleveris, vix esse dubium videbitur, quin Euripideum versum philosophus aliter legerit et scripserit atque traditus est a librariis hujus fabulae. Hoc enim modo explendas lacunas putaverim in illo fragmento:



i. e. ὁ χαλκέοις οὐρανὸν νώτοις ὀχῶν

vel φέρων. Post *ΧΑΛΚΕ Κ* enim, quod quin cum Nauckio *ΧΑΛΚΕΟΙC* legendum sit, nemo potest dubitare, majus est spatium lacunae, quam quod unam literam I capiat, atque tantum, ut nihil obstet quo minus id quod a librario omissum videbatur, οὐρανὸν putemus excidisse. E contrario id spatium, quod est inter νώτοις et Ἴωνι, non est tantum, ut οὐρανόν, nedum οὐρανὸν ἐν hoc loco positum esse potuerit. Quae autem vocabulum νώτοις excipit litera *O*, ab ea quamquam fieri potest ut, cum evanuerit directa ad perpendiculum lineola, inceperit verbum φέρων, tamen hoc quoque potest conjici, Philodemum legisse ὀχῶν, quod G. Dindorfius conjecit (in praefatione Sophoclea, p. V, quae est in editione V Poetarum Scenicorum Graecorum), quodque etiam aptius videtur ad lacunae spatium explendum. Synizesis χαλκέοις in eodem versus loco, ante caesuram, est etiam in Phoen. v. 1539. Ion. v. 1165 al.

Creusa, ut in eodem prologo narrat Mercurius,

ἣν εἶχε παρθένος χλιδὴν 26
τέκνῳ προσάψασ᾽ ἔλιπεν ὡς θανουμένῳ,

si quidem libris fides est habenda. Sed veri videtur similius poetam scripsisse

ἔλιπεν ὡς θ α ν ο ύ μ ε ν ο ν,

ut v. 18. Incunabulis enim Creusam infantem colligaturam fuisse patet, etiam si exponere eum non voluisset. Ipsa Creusa ἡμεῖς, inquit, ἐξέθεμεν, ἐν ὄρφνῃ σπαργανώσαντες πέπλοις (v. 955), ὡς τὸν θεὸν σώσοντα τόν γ᾽ αὑτοῦ γόνον (v. 965).

Ion triplex sibi munus esse dicit pavimenti verrendi, aquae spargendae, avium a templo signisque arcendarum. Primum autem lauri ramos, dum verrit, videtur alloqui atque cohortari:

*ἄγ' ὦ νεηθαλὲς ὦ*
*κάλλιστον προπόλευμα δάφνας,*
*ἃ τὰν Φοίβου θυμέλαν*
*σαίρεις ὑπὸ ναοῖς*
*κάπων ἐξ ἀθανάτων,*
*ἵνα δρόσοι τέγγουσ' ἱεραὶ*
*... τὰν ἀέναον παγὰν*
*ἐκπροϊεῖσαι*
*μυρσίνας ἱερὰν φόβαν,*
*ᾇ σαίρω δάπεδον θεοῦ ...*

In his plura insunt quae justam dubitandi causam afferant. Primum enim vix est credibile, ad unum *δάφνας* poetam addidisse primum *ἃ σαίρεις*, deinde *ᾇ σαίρω*. Tum minus est veri simile eundem dixisse, laurum illam natam esse in aeternis hortis, ubi rore divino humectetur myrtus. Denique ratio non est dicere, divinis humoribus emitti perennem fontem, cum e contrario naturae sit consentaneum perenni fonte emitti divinos humores. Accedit quod Ion, cum opus incipit, dicit (v. 103): *πτόρθοισι δάφνης στέφεσίν θ' ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου καθαρὰς θήσομεν*, in ipso autem carmine de his *στέφεσι* videtur tacere. Quare si G. Hermannum secutus *στέφη*, quae non possunt esse coronae myrteae, quibus templi vestibulum exornet, ita intellegis, ut laureis atque myrteis virgis in templo verrendo eum uti poeta dicat, utramque potest alloqui, itaque cum Heathio scribendum, inserto praeterea uno *τε*,

*μυρσίνας θ' ἱερὰ φόβα.*

Deinde cum nihil sit veri similius quam poetam dixisse sacro illo rore humectari terram, in lacuna quae ante *τὰν* est, *γᾶν* fuisse existimaverim. Denique si in iis quae interposita sunt verbis mutemus

*τᾶν ἀενάων παγᾶν*
*ἐκπροϊεῖσαν,*

jam rores emitti dicentur e perennibus fontibus.

Ceterum monendum, ab ipso Ione, quid sibi fuerit muneris,

hoc loco adeo distincte circumscribi, ut minime sit dubium quin deus *προλογίζων* mentiatur, cum adulescentulum dicit a Delphis constitutum esse *χρυσοφύλακα τοῦ θεοῦ ταμίαν τε πάντων πιστόν* (v. 54). Qui si re vera fuisset *χρυσοφύλαξ*, de tanto honore ipse non potuisset tacere. Ne *ναοφύλαξ* quidem, ut Nauckius conjecit, potuit appellari; ab hac enim re etiam magis esset absonum illud *ταμίας πάντων πιστός*.

Cygno advolanti ad templum Ion minatur, nisi statim avolaverit, se sagitta eum esse vulneraturum:

> *αἱμάξεις, εἰ μὴ πείσει,* 168
> *τὰς καλλιφθόγγους ᾠδάς.*

De hac librorum scriptura recte A. Kirchhoffius judicat cum Musgravio legendum esse *αἱμάξω σ'*, sine dubio ratus hoc a librariis corruptum esse, cum *πείσει* sequatur. Ut autem sapiant aliquid haec verba, efficies, si praeter illud scripseris

> *αἱμάξω σ', εἰ μὴ πείσει,*
> *σ ὰ ς καλλιφθόγγους τ' ᾠδάς,*

vulnerabo te cum isto suavi cantu, i. e. *καίπερ μελιβόαν* (fragm. 775, 32) *ὄντα*, de qua loquendi consuetudine conferri possunt interpretes ad Soph. Aj. v. 1147, Phil. v. 1378, Oed. R. v. 905, Eur. Iph. A. v. 393, Wolff. ad Soph. Antig. v. 95, Klotz. ad Eur. Or. v. 545, Meinekius in ed. Oed. Col. p. 169.

Ion Creusam lacrimis obortis ad templum accedentem conspicatus dicit

> *ἀλλ' ἐξέπληξάς μ' ὄμμα συγκλῄσασα σὸν* 241
> *δακρύοις θ' ὑγράνασ' εὐγενῆ παρηίδα,*
> *ὡς εἶδες ἁγνὰ Λοξίου χρηστήρια.*

In v. 241 H. van Herwerden *συγκλῄσασα* non esse aptum ratus, quod lacrimantes non soleant oculos claudere, *συντήξασα* proposuit. Minus recte; neque enim illud recte animadvertit neque verbis *ὄμμα συγκλῄειν* atque *δακρύοις ὑγραίνειν παρηίδα* una eademque continetur actio. Nam Ion modo flentem Creusam vidit modo oculos claudentem, maerore scilicet, redintegrato, cum in aspectu esset templi ejus dei, a quo tam misere se putat perditam. Hoc illa maerore afflicta exclamat *ἆ τλήμονες γυναῖκες· ὦ τολμήματα θεῶν* (in v. 252). In simili con-

ditione Medeae similibus poeta utitur verbis: *κεῖται δ' ἄσιτος, τὸν πάντα συντήκουσα δακρύοις χρόνον, οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον* (Med. v. 24. 25. 27. 28). Et quid aliud est in Hipp. v. 245 *κατ' ὄσσων δάκρυ μοι βαίνει καὶ ἐπ' αἰσχύναν ὄμμα τέτραπται?* Non ita diversum Ion. v. 582 et Med. v. 1012 *τί δὴ κατηφεῖς ὄμμα καὶ δακρυρροεῖς,* coll. Heracl. v. 633 *καὶ κατηφὲς ὄμμ' ἔχεις*; Iph. A. v. 1122 *τέκνον, τί κλαίεις οὐδ' ἔθ' ἡδέως ὁρᾷς, εἰς γῆν δ' ἐρείσας ὄμμα πρόσθ' ἔχεις πέπλους;* vel ubi de metuentis vultu sermo est, Iph. A. v. 322 *μῶν τρέσας οὐκ ἀνακαλύψω βλέφαρον Ἀτρέως γεγώς;* Ceterum *συντήκω* paullo aliter usurpat Euripides, cf. Med. v. 25, Iph. A. v. 398 *ἐμὲ συντήξουσι νύκτες ἡμέραι τε δακρύοις*, aliis locis dicit *ἐκτήκω*, ut in Or. v. 134 *ὄμμα δ' ἐκτήξουσ' ἐμὸν δακρύοις*, v. 529 *δακρύοις γέροντ' ὀφθαλμὸν ἐκτήκω τάλας*. Atque potuit quidem poeta dicere *συγκρύψασα*, ut in Suppl. v. 286 dixit *τί κλαίεις λέπτ' ἐπ' ὀμμάτων φάρη βαλοῦσα τῶν σῶν*, in Herc. f. v. 1111 *τί κλαίεις καὶ ξυναμπίσχει κόρας;* Neque vero quidquam mutandum.

Post versum

*τιμᾷ σφε Φοῖβος ἀστραπαί τε Πύθιαι* 285

puncto esse distinguendum videtur, non interrogationis signo, quod ea pars stichomythiae, in qua Ion interrogantis vice fungitur, ita videtur constituta, ut bis interroget quaternis, bis quinis versibus alternantibus (4, 5, 4, 5: v. v. 265—271, 275—283, 287—293, 297—305), quartam autem et quintam quamque interrogationem sequatur versus, quo aut affirmatio continetur aut exclamatio (273. 285. 295. 307).

Deinde Ioni interroganti, qua de causa Creusa abominetur illum locum, cui Apollo tantum habeat honorem, ante Herwerdeni editionem putabant librarios illam facere respondentem

*οὐδέν, ξέν'· οἶδ' ἄντροισιν αἰσχύνην τινά* 288

omnesque receperunt emendationem Tyrwhitti *οὐδέν· ξύνοιδ' ἄντροισιν κτλ.* At permirum esset, si Creusa diceret, sese specui esse consciam de turpi quodam facinore. Nam cum non potuerit quin mentione de rupibus illata fatalem illum specum recordetur, quid est quod dicere possit nisi eundem vidisse illam injuriam vel conscium esse de ea? Cum autem

ex ea quam diximus editione cognoverimus, in libro Palatino scriptum esse *οἶδεν*, legendum videtur

*οὐδέν· ξύνοιδεν ἄντρον αἰσχύνην τινά.*

V. Herc. f. v. 368, inprimis autem fragm. 697 *Αὔγη γὰρ Ἀλέου παῖς με τῷ Τιρυνθίῳ τίκτει λαθραίως Ἡρακλεῖ· ξύνοιδ' ὄρος Παρθένιον.* In Ionis quoque v. 957 sine dubio poeta dicit unam solitudinem fuisse testem expositi infantis (*τὸ λανθάνειν μόνον*). Ceterum cum ex *οἶδεν* factum esset *οἶδ'*, fieri potuit ut dativum scriberent, quem fortasse loco esse designando putabant.

Versus 324 et 325 post v. 326 et 327 esse collocandos N. Wecklinus censuit (Studien zu Euripides. MDCCCLXXIV p. 338). Mihi quidem cum aptissime versum 325 videatur excepturus esse v. 330, suum locum illi videntur habere post v. 329.

In v. 362 non legendum esse quod in libris est

*σιγῶ· πέραινε δ' ὧν σ' ἀνιστορῶ πέρι,*

sed *ὧν μ' ἀνιστορεῖς πέρι* in Nov. Ann. Phil. a. MDCCCLXVIII, p. 413 proposui. Idem Wecklinus conjecit (l. l. p. 399), nisi quod pronomen omittendum putavit.

In v. 379

*ἃ γὰρ βίᾳ σπεύδωμεν ἀκόντων θεῶν,*
*ἄκοντα κεκτήμεσθα τἀγάθ', ὦ γύναι·*
*ἃ δ' ἂν διδῶσ' ἑκόντες, ὠφελούμεθα,*

*ἄκοντα* fere omnes e librarii errore ex eo, quod praecedit, *ἀκόντων* orto repetunt. Aliis Wakefieldi *οὐκ ὄντα*, aliis H. Stephani et Reiskii *ἀνόνητα*, quod cum *ὠφελούμεθα* magis congruat, placet. Speciosissima denique Doederlini conjectura *κάκ' ὄντα* delitescit in ejusdem Orationibus (ed. MDCCCXXXXIII p. 396). At ne hanc quidem necessariam esse putaverim. Est enim *ἄκοντα τἀγαθά* vere Euripideum. Quodsi ante oculos poetae versabantur Homeri versus (in Iliadis l. III v. 65) *οὔ τοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικύδεα δῶρα, ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο*, vides, quem ad modum Homeri sapientia usus sit Euripides, quem ad modum Sophocles. Nam hic quoque illum locum ante oculos habuit in fragm. 748 *χρὴ δ' ὅσ' ἂν θεοὶ διδῶσι, φεύγειν μηδὲν ὦ τέκνον ποτέ.*

*πολλαί γε πολλοῖς εἰσι συμφοραὶ βροτῶν,* 381
*μορφαὶ δὲ διαφέρουσιν· ἓν δ' ἂν εὐτυχὲς*
*μόλις ποτ' ἐξεύροι τις ἀνθρώπων βίῳ.*

Hos versus dudum corruptos esse inde apparet, quod apud Stobaeum (fl. 98, 41) legitur *βροτοῖς, μορφαῖς, ἐν δ' εὐτυχίαις*. Et de *βροτῶν* quidem atque *μορφαὶ* librorum Euripideorum lectio videtur bona. Sed *ἓν δ' ἂν εὐτυχὲς* vix est Euripideum. Qua de causa quod Heathius conjecit *ἕνα δ' ἂν εὐτυχῆ*, et Musgravius comprobavit et Dobraeus, cum alii, ut Matthiaeus, G. Hermannus, Pflugkius, qui illa verba ad Herc. f. 917 ita interpretatur, ut idem valeant quod *εὐτυχές, ὃ ἓν ἂν εἴη*, lectionem librorum tuendam putaverint. Quodsi consideraveris, quoties Euripides orationem absolvere soleat communi sententia *ἀσυνδέτως* iis quae antecedunt addita (conf. v. 449. 834. Suppl. v. 508. Hec. v. 627. Or. v. 70. 727. 1552. Andr. v. 639. Phoen. v. 584. 958. Herc. f. v. 633. 1227. Iph. T. 605. Iph. A. v. 502. 1252. Alc. v. 549), librariumque exitu verbi *διαφέρουσιν* facile potuisse falli, fortasse probabis

*ἴσον ἂν εὐτυχές,*

sicut Pindarus dicit (in Ol. VIII v. 70) *τὸ τερπνὸν δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσσεται οὐδέν*. Hoc idem est atque in Eur. Suppl. v. 269 *οὐκ ἔστιν οὐδὲν διὰ τέλους εὐδαιμονοῦν*, aut in Moschionis fragm. 10 (ed. Wagn.) *κεῖνος δ' ἁπάντων ἐστὶ μακαριώτατος, ὃς διὰ τέλους ζῶν ὁμαλὸν ἤσκησεν βίον*, aut in Eur. fr. 196 *τοιόσδε θνητῶν τῶν ταλαιπώρων βίος· οὔτ' εὐτυχεῖ τὸ πάμπαν οὔτε δυστυχεῖ.*

Creusa cum nullam esse spem audierit, deum sibi responsurum esse, videatque maritum advenientem, sese acquiescere atque contentam esse sua conditione simulat his verbis, in libris *ἀμέτρως* scriptis

*ἀλλ' ἐᾶν χρὴ τάδ', εἰ πρὸς τοῦ θεοῦ* 390
*κωλυόμεσθα μὴ μαθεῖν ἃ βούλομαι.*

In his sententia bona inerit, si paululum immutata Duporti conjectura legeris

*ἀλλ' οὖν ἐᾶν με χρὴ τάδ',*

i. e. quid puero factum sit, ut *ἐᾶν* paene idem valeat quod *στέργειν*, omittere atque contentam esse, in fragmento quod dicitur Euripidis (1061) *πάντων ἄριστον μὴ βιάζεσθαι θεούς,*

στέργειν δὲ μοῖραν. Eodem modo ἐᾶν usurpatur e. c. in Iph. T. v. 489 atque in Melanippae vinctae fragm. 494, ubi vulgo legitur ᾧ γὰρ θεοὶ διδῶσι μὴ φῦναι τέκνα, οὐ χρὴ ἐγκαλεῖσθαι πρὸς τὸ θεῖον, ἀλλ' ἐᾶν, sed in libris scriptum est aut χρὴ τλεῖσθαι aut χρὴ γλεῖσθαι. Fortasse legendum οὐ χρὴ ἀντιτείνειν, ut in Herc. f. v. 283 τῷ δ' ἀναγκαίῳ τρόπῳ ὃς ἀντιτείνει, σκαιὸν ἡγοῦμαι βροτῶν, de qua synizesi conf. in fragm. 656 ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος. In fine ejusdem orationis (v. 398) Creusa queritur de conditione mulierum: κἂν ταῖς κακαῖσιν ἀγαθαὶ μεμιγμέναι μισούμεθ'. Similis est locus in ejusdem Melanippae fragm. 496:

ἄλγιστόν ἐστι θῆλυ μισηθὲν γένος·
αἱ γὰρ σφαλεῖσαι ταῖσιν οὐκ ἐσφαλμέναις
αἶσχος γυναιξὶ καὶ κεκοίνωνται ψόγον
ταῖς οὐ κακαῖσιν αἱ κακαί· τὰ δ' εἰς γάμους
οὐδὲν δοκοῦσιν ὑγιὲς ἀνδράσιν φρονεῖν,

ubi si reputaveris poetam manifesto dicere velle, non solum pravas mulieres, sed omnes, etiam quae bonis sint moribus, viris, quod ad matrimonium attineat, videri non aptas (cf. Or. v. 590), videbis lineola una addita legendum esse

ταὶ δ' εἰς γάμους.

Contrario modo effici potest, ut plana sit oratio et perspicua in fragmento 501:

μάτην ἄρ' εἰς γυναῖκας ἐξ ἀνδρῶν ψόγος
ψάλλει, κενὸν τόξευμα, καὶ κακῶς λέγει·
αἱ δ' εἴσ' ἀμείνους ἀρσένων, ἐγὼ λέγω.

Quamquam enim verba a καὶ usque ad λέγω sunt qui non putent esse genuina, tamen minus erunt suspicioni obnoxia, si legeris

ἃ δ' εἴσ' ἀμείνους ἀρσένων, ἐγὼ λέγω,

vel ἐγὼ φράσω.

Duos ex eadem Melanippa locos addam. Fragmentum enim 514 hoc modo putaverim legendum esse:

ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ οἶδ' ὅτῳ σκοπεῖν χρεὼν
τὴν εὐγένειαν· τοὺς γὰρ ἀνδρείους φύσιν
καὶ τοὺς δικαίους εὐγενεστέρους λέγω,
κἂν ὦσι δοῦλοι, τῶν κενῶν δοξασμάτων,

ut *κενὰ δοξάσματα* idem sit quod *ἔχοντες κ. δ.* vel *πλήρεις κενῶν δοξασμάτων* in oratione Orestis, quae in Electra est (v. 383). Quamquam enim antiquissimo fragmento, de quo Blassius disputavit in Mus. Rhen. t. XXXV, qnae vulgo leguntur videntur confirmari, tamen paene necessarium est tertium versum et quartum ita corrigere, ut hemistichiorum *τῶν κενῶν δοξασμάτων* atque *εὐγενεστέρους λέγω* locus mutetur, pro *δούλων* autem, quod in libris ist, *δοῦλοι* scribatur. Primi vero versus restitutionem ab Heimsoethio incohatam sagacissime confecit Nauckius; quod enim hic conjecerat *ὅτῳ* pro *ὅπως*, quod libri Euripidei praebent, hoc fragmento illo nunc confirmatum est.

In fragmento denique 499:

*τίσασθε τήνδε· καὶ γὰρ ἐντεῦθεν νοσεῖ*
*τὰ τῶν γυναικῶν· οἱ μὲν ἢ παίδων πέρι*
*ἢ συγγενείας εἵνεκ᾽ οὐκ ἀπώλεσαν*
*κακὴν λαβόντες·*

*ἀπώλεσαν* vix recte se habet. Sermo enim esse videtur de maritis, qui quamquam pravas esse uxores cognoverint, tamen aut liberorum aut cognatorum causa illas vereantur foras emittere, i. e. *ἀποπέμψασθαι* vel *ἐκβαλεῖν δωμάτων* (v. fragm. 406). Itaque fortasse probabilius videbitur *ἀπῴκισαν* (cf. Hipp. v. 629), scilicet *ὡς τὸν πατέρ᾽ ἀπελθεῖν οἴκαδε*, ut Anaxandrides dicit apud Stob. Flor. LXXIV, 1.

Antequam Xuthus in templum ingreditur oraculum consulturus, Creusa, si deus nunc velit corrigere quod antea peccarit, se accepturam esse dicit quidquid respondeat:

*Λοξίας δ᾽ ἐὰν θέλῃ*
*νῦν ἀλλὰ τὰς πρὶν ἀναλαβεῖν ἁμαρτίας,*
*ἅπας μὲν οὐ γένοιτ᾽ ἂν εἰς ἡμᾶς φίλος,*
*ὅσον δὲ χρῄζει, θεὸς γάρ ἐστι, δέξομαι.*

Cum de uno illo, quod Apollinem editurum esse sperat, responso loquatur, *ὅσον δὲ χρῄζει* non recte dictum esse putaverim. Quod recte se haberet, si *δέχομαι* diceret. Itaque nisi *χρήσει* videtur legendum, vel *χρήσῃ* vel *χρῄζῃ* restituendum est omisso *ἄν*, qua de re conf. Porson. ad Or. v. 141, G. Hermann. ad Soph. Phil. 798. V. v. 1336 *εὔνους δ᾽ οὖσ᾽*

ἐρεῖς ὅσ᾽ ἂν λέγῃς. Hel. v. 1257 ἀρκέσει γὰρ ἂν διδῷς. Soph. Oed. C. v. 74 ὅσ᾽ ἂν λέγωμεν, πάνθ᾽ ὁρῶντα λέξομεν. Phil. v. 1276 μάτην γὰρ ἂν εἴπῃς γε πάντ᾽ εἰρήσεται. Aesch. Eum. v. 33 μαντεύσομαι γὰρ ὡς ἂν ἡγῆται θεός (sic enim pro μαντεύομαι codicis Med. Kirchhoffius). Saepe autem commutatas esse literas σ et ζ notum est, ut Soph. Trach. v. 534. Phil. 1379.

Ut Solo Platonicus beatos praedicat eos, qui liberos habeant (in Lys. p. 212 E ὄλβιος ᾧ παῖδές τε φίλοι κτλ.), sic chorus Euripideus, nisi quod hic utilitatis atque quaestus videtur studiosior. Praedicantur enim ab eo liberi

διαδέκτορα πλοῦτον
ὡς ἕξοντες ἐκ πατέρων
ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις,

ut conservatores rei familiaris, hereditate eam accepturi (*διάδοχοι πλούτου*, v. Alc. 655) atque tradituri. Sed cuinam? Num aliis liberis, ut legimus in v. 480? Minime vero. Si enim hoc poeta voluisset dicere, ex consuetudine sua dicturus fuisset ἕτεροι ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις. V. Alc. v. 893. Bacch. v. 905. Phoen. v. 830. Or. v. 979. Conf. Herc. v. 1084. Andr. v. 802. Hec. v. 588. Veri similius est poetam dicere, liberos acceptas a patribus divitias tradituros esse suis deinceps natis, itaque legendum

σφετέροις ἐπὶ τέκνοις.

In diverbio Xuthi et Ionis, quod unum ex luminibus dramatis hujus esse merito dixeris, primum legendum putaverim

ὡς δ᾽ ἐπ᾽ ἐξόδοισιν ὄντος τόνδ᾽ ἀκούομεν πυλῶν
δοῦπον

pro τῶνδ᾽, quod in libris est. Deinde cum fieri non possit quin versus 527 sequatur versum 524, mutato versuum ordine opus esse, ut versum 522 excipiant v. 525 et 526, hos v. 523 et 524, a. MDCCCLXVIII in Nov. Ann. Phil. t. XCVII p. 413 a me demonstratum est. Atque de v. quidem 524 et 527 idem judicavit Theodorus Kock in Veri similibus, ed. a. MDCCCLXXII (p. 252), reliquorum ordinem aliter constituit. At illo modo rem aptius agi putaverim. Dum enim binos agunt versus (521 et 525, 522 et 526), alter propius accedens

ad Ionem, hic pedem recipiens, verbis potissimum altercatio videtur contineri. Inde autem a v. 523 et 524 animis vehementius commotis res ad vim videtur ventura; manum enim Xuthus se Ioni vel recusanti admoturum minatur, ille autem vi se vim defensurum. Quod si recte est disputatum, v. 523, ubi Xuthus dicit

*ἅψομαι κοὐ ῥυσιάζω· τἀμὰ δ' εὑρίσκω φίλα,*

apparet non recte esse a librariis traditum. Ut enim *ῥυσιάζω*, quod proprie est possido, occupo tamquam pignus, hic latiore significatione idem valet quod occupo (ut apud Aeschylum in Suppl. v. 409, conf. *ἀρρυσίαστος* ib. v. 590), ita non est dubium quin negandi hic quidem nulla sit causa. Quod qui primus vidit Kirchhoffius, fortasse legendum esse dicit:

*ἁψόμεσθα· ῥυσιάζω τἀμά γ' εὑρίσκων φίλα.*

Propius autem accedit ad id quod in libris traditum est,

*ἅ ψ ο μ α ί σ ο υ ῥ υ σ ι ά ζ ω ν,*

quod confirmari videtur illa parte fabulae, qua Euripides Creusam matrem simillima usam causa filium inscium atque reluctantem facit amplexuram iisdem paene verbis: *ὡς ἀνθέξομαι καὶ τῆσδε καὶ σοῦ*, illum autem respondentem: *τάδ' οὐχὶ δεινά; ῥυσιάζομαι λόγῳ* (v. 1404, 1406; de *λόγῳ* conf. Iph. T. v. 794). Ut denique Xuthus *τἀμὰ δ'*, inquit, *εὑρίσκω φίλα*, sic Creusa *σοῖς φίλοισιν εὑρίσκει φίλος* v. 1407.

In eodem diverbio hi versus leguntur

*Ι. καὶ τί βουλόμεσθά γ' ἄλλο*
*Ξ. νῦν ὁρᾷς ἃ χρή σ' ὁρᾶν.* 558
*Ι. ἦ Διὸς παιδὸς γενέσθαι παῖς;*
*Ξ. ἥ σοί γε γίγνεται.*

Prioris versus alterum hemistichium A. Nauckius uncinis inclusit ut e Bacch. v. 924 huc translatum. At cum in Phoenissarum quoque v. 713 sit *οὐχ ὁρᾷς ἃ χρῆν σ' ὁρᾶν;* hic quoque tolerandum videtur, non minus quam *οὐκ οἶδα πλὴν ἕν*, quod in v. 311, in El. 627. 752, Suppl. 933, Hipp. 599, Soph. Oed. Col. 1161, vel *ἔκ τοι πέπληγμαι*, quod in Hipp. v. 342 et 934 et Herc. f. 1105 est. Conf. Wecklini Stud. Eur.

p. 352 et ad Med. 748. Praeter Medeam idem versus paene totus iteratur in El. 672 et Iph. A. 985, eadem hemistichia in Ione (650) et Electra (1123), in Ione (1038) et Alcestide (v. 488), in Alcestide (522) et Hippolyto (344). Quid? quod idem versus legitur apud Euripidem et Sophoclem (Ion. 1488 et Phil. 1299, Bacch. 193 et in tragoedia, cui titulus est *Φθιώτιδες* v. A. Gell. N. A. XIII, 11); paene idem in Eur. El. 1057 et Soph. Ant. 443, in Phoen. 707 et Trach. 78, in Phoen. 1759 et Oed. R. 1525, idem hemistichium in Hec. 960 et Phil. 11.

Sed utcunque se ea res habet, major tamen est difficultas in altero versu. Et de metro quidem quod antea dubitandum putavi, id nunc omitto. Neque enim semel tetrametros trochaicos Euripides ita divisit inter duas personas, ut prioris oratio contineatur catalectica pentapodia, sed bis, hic et in Iph. A. v. 1359, quamquam hoc ipsum memoria dignum est, cum in sex fabulis omnino centum quadraginta duo tetrametri inter binas personas distributi sint, ex quo numero duodecim ita sunt divisi, ut altera post quintum quemque trochaeum, tredecim ita, ut post sexti cujusque arsin alteram excipiat. Eo gravior dubitatio nascitur e sententia. Nullo enim pacto Ion, cui tandem persuadeat Xuthus, suum illum esse filium, dicere potest, esse profecto nihil optabilius, quam Iovis esse nepotem, cum pronepotem dicere debuerit. Nam haud ignorat, quae sit origo Xuthi, quem Aeolo, filio Iovis, patre usum esse ipsa Creusa eidem dixerat (v. 292). Neque magis potest intellegi, qui Xuthus cum illo Ionis errore possit consentire. Nimirum absurdorum hoc esset hominum. At vero Kvičala in Stud. Eur. p. II. p. 42 Euripidem ait voluisse Ionem ambigue loquentem facere; inscium enim eum dicere id quod verum sit, et spectatores ita ejus verba intellexisse; ipsum autem dicere voluisse, se progeniem esse Iovis. At ea demum est ambiguitas, si idem vocabulum plures habet significationes. Neque vero scimus vocabulum *παῖς* apud Graecos significare non solum filium, sed omnino progeniem vel nepotem. Igitur hic locus non potest non videri corruptus. Constat vero inter omnes, id quod in libris est *ἢ σοί γε γίγνεται* non esse ferendum. Quod Scaliger ita correxit, ut *ὃ* legeret, L. autem Dindorfius *ὅπερ σοὶ* proposuit. Equidem hic quoque illud *ἢ* ori-

ginem traxisse putaverim e neograeca librariorum pronuntiatione, ut e contrario in v. 1016 pro ἢ χωρὶς φορεῖς scripserunt ἰχῶρ' εἰσφορεῖς. Proposuerim igitur

*I.* ἢ Διὸς παιδὸς γενέσθαι παιδί;

Ξ. σοί γε γίγνεται.

Ut enim in Iph. T. v. 806 ἡ Λάκαινα Τυνδαρίς σ' ἐγείνατο Πέλοπός γε παιδὶ παιδός, ita γίγνεσθαί τινι dicitur, ut in Bacch. v. 1275 τίς οὖν ἐν οἴκοις παῖς ἐγένετο σῷ πόσει; Cf. fragm. 575. Illud ὅ autem non magis necessarium quam subjectum in γένοιτο δ' εὖ πως Hec. v. 902. Iph. A. v. 1626. Ceterum βουλόμεσθα ita intellexerim, ut communis sit sententia atque paene idem quod τί βούλοιτ' ἄν τις ἄλλο. Quod si fit, et in Xuthi responso σοί γε melius intellegitur et haesitantem etiamtum Ionem quaerere ἢ θίγω δῆθ' οἵ μ' ἔφυσαν;

Xuthus filium hortatur:

εἰς τὰς Ἀθήνας στεῖχε κοινόφρων πατρί, 577
οὗ σ' ὄλβιον μὲν σκῆπτρον ἀναμένει πατρός,
πολὺς δὲ πλοῦτος.

In v. 578 suspicionem movet πατρός, non quin dici possit σκῆπτρον πατρός, conf. v. 660 ἐᾶν σε σκῆπτρα τἄμ' ἔχειν χθονός, et Troad. v. 150. Or. v. 437. Phoen. v. 80, neque quo nimis molestum sit illud vocabulum propter πατρί, quod est in fine v. 577, sed quia minus videtur pulchra repetita illa figura rhetorica. Et Herwerdenus quidem suspicatur legendum esse ἀναμένει χθονός, hoc vero vocabulum commendaverim in Or. v. 429, ubi χεροῖν in libris est; haec enim a librariis interdum esse commutata ex Or. v. 445 apparet, ubi traditum est γρ. χθονός. In Sophocleae quoque Ant. v. 187 super χθονός scriptum πόλεως. In Ionis autem loco si πόλεως putaveris a poeta scriptum esse, unde ortus sit librariorum error, facilius cognosces. V. Phoen. v. 73. Herc. f. 213 σκῆπτρα γῆς, Phoen. v. 80 et 601 σκῆπτρα καὶ μέρη χθονός, Herc. f. v. 1167 σκῆπτρα χώρας.

Incredulus de edito oraculo chorus interrogat:

πόθεν ὁ παῖς ὅδ' ἀμφὶ ναοὺς σέθεν 683
τρόφιμος ἐξέβα, γυναικῶν τίνος;

Nam tum demum, cum de matre quoque certior sit factus, fidem se oraculo habiturum dicit. Itaque patet, non posse chorum interrogare, unde venerit Ion neque unde exortus sit — hoc enim esset *ἐφάνη* —, sed qua de matre sit natus, id quod iis quoque, quae insequuntur, verbis *γυναικῶν τίνος* demonstratur, quae ad vocabulum *πόθεν* illustrandum sunt addita. Vix autem graecum est *ἐξέβη γυναικός*, unice dicitur *ἐξέφυ* (v. v. 1477 *πέφυκα δυσγενὴς μῆτέρ ποθεν;*). Quod librarius quidam neograeca pronuntiatione v. *ἐξέβη* turbatus videtur mutasse.

Vario modo homines literati correxerunt, omnes corruptum judicaverunt v. 737. Collaudans enim paedagogus Creusam dicit:

*ὦ θύγατερ, ἄξι' ἀξίων γεννητόρων*
*ἤθη φυλάσσεις κοὐ καταισχύνασ' ἔχεις*
*τοὺς σοὺς παλαιοὺς ἐκγόνους αὐτόχθονας.*

Quod pro *ἐκγόνους* Musgravius scripsit *ἐγγενεῖς*, consanguineos (ut v. 63. Soph. Ant. v. 659), num ad maiores possit referri, dubitaverim. Quod autem Bothius putavit restituendum *τοῦ σοῦ παλαιοὺς ἐκ γένους* atque Badhamus recepit, in universum quidem videri potest veri simile, sed iterum dicendum, vix quemquam potuisse graece dicere maiores *τοὺς ἐκ γένους τινός*. Itaque non video quid reliquum sit nisi ut restituamus

*τοὺς γῆς παλαιοὺς ἐκγόνους αὐτόχθονας.*

Erichthonius vel Erechtheus dicitur *γηγενής* v. 20, ut apud Herod. VIII, 55; conf. v. 267 *ἐκ γῆς πατρός σου πρόγονος ἔβλαστεν πατήρ;* v. 1000 *ὃν πρῶτον ὑμῶν πρόγονον ἐξανῆκε γῆ;* quare *γηγενέτας δόμος* v. 1466. Omnes Atheniensium *ἀρχαγούς* (v. 723) e terra esse editos scholiasta tradit ad Cic. Sest. 21. Deinde *τὸ παλαιὸν γένος Ἐρεχθέως* legimus in v. 469, *Ἐριχθονίου γε τοῦ πάλαι* in v. 1429. Quodsi ad explicandum *τοὺς γῆς ἐκγόνους* more Euripideo additum est *αὐτόχθονας*, quanti Athenienses fecerint illam laudem, cum e v. 29 et 589 hujus dramatis, tum ex Erechthei Euripideae fragm. 362,7 notum est. Quod autem in libris legitur *σούς*, id ex articulo *τοὺς* ortum esse putaverim. Conf. Iph. A. v. 505.

In eodem colloquio, quod Creusa, dum ad ipsum templum

ascendunt, cum paedagogo habet, omnes recepta Tyrwhitti conjectura illam faciunt dicentem

ὀρθῶς ἔλεξας· ἀλλὰ μὴ πάρες κόπῳ,

nisi quod Herwerdenus recte judicavit legendum esse παρῇς. Hoc vero aut intransitive dictum putant aut supplendum esse σεαυτόν. At sicuti non est dubius passivus hujus verbi usus, ut Phoen. v. 852 κόπῳ παρεῖμαι, Bacch. v. 635 κόπου δ' ὕπο παρεῖται, et Or. v. 881 παρειμένον νόσῳ, Herc. f. v. 1043 ὕπνῳ, coll. Bacch. v. 683 et Alc. v. 204, ita non est quod infitias eamus, illius usus intransitivi exempla esse nulla. Cum autem in libris sit μὴ 'πάρεσκέ πω, in P vero Herwerdenus testetur πάρεσκέ τω alia manu esse in litura scriptum, non erit nimiae audaciae conjicere, finem hujus versus gravius esse corruptum a librariis. Qua de causa fortasse melius se oratio habebit, si poetam scripsisse putaveris

ἀλλὰ μὴ παρῇς μέλη.

V. Or. v. 228 ἄναρθρός εἰμι κἀσθενῶ μέλη.

Paedagogus cum e chori exclamationibus ἰὼ δαῖμον, ἰὼ τλᾶμον suspicatus sit infaustum esse oraculi responsum, interrogat chorum

ἀλλ' ἦ τι θεσφάτοισι δεσποτῶν νοσῶ;

Recte enim et hic versus et v. 753 a Badhamo aliisque paedagogo tribuuntur. Neque vero chorus neque paedagogus, quippe qui Creusae sint addicti, δεσπότας possunt dicere Xuthum, de quo uno sermo esse potest, si θεσφάτοισι δεσποτῶν recte conjungunt; Creusam enim δεσπότας dicit chorus v. 233, 236 (coll. v. 237), paedagogus v. 852, 1043. Veri igitur similius est, δεσπότας hic quoque, ut in v. 751, nihil aliud esse quam δεσπότιν. Quod si probabile est, δεσποτῶν cum τι conjungendo et νοσεῖ restituendo fiet, ut aptissima sit oratio. Satis erit unum comparare locum, Iph. T. v. 536 πάντα τἀκείνου νοσεῖ.

In carmine melico ἀμοιβαίῳ, quod a v. 763 incipit, facile intellegitur tanta poetam aequabilitate usum esse in componendis atque distribuendis eorum qui inter se colloquuntur verbis, ut neglegentissimi librarii non potuerint eam corrumpere. Inde enim a v. 771 usque ad v. 799 quater paedagogus

binis senariis interrogat chorum, hic totidem senariis quater respondet, quater denique tristes chori nuntios excipiunt lamentationes Creusae dochmiis compositae. Ne hoc quidem reconditum, poetam, ut quo propius chorus accederet ad id quod tristissimum Creusae videtur oraculi aperiendum, eo commotiorem describeret ejus animum, auxisse numerum pedum. Itaque quin initio bis eam lamentantem fecerit singulis trimetris, vix potest esse dubium. V. enim 776 addito altero *ἔλακες* a Seidlero restitutus est; alter autem trimeter

*πῶς φῄς; ἄφατον ἄφατον ἀναύδητον* 782
*λόγον ἐμοὶ θροεῖς,*

a Badhamo, cui plerique assentiuntur, ita correctus est, ut pro altero *ἄφατον* legatur *ἄρρητον* vel *ἄφραστον*. Reliquam querelarum Creusae partem Badhamus sic disposuit, ut binos dimetros sequantur singuli cretici et dochmii. Ut autem creticus cum dochmio conjunctus haud raro invenitur, ita hoc quidem loco veri similius videtur, integris dochmiis, ut antea, poetam usum esse. In v. autem 799 in altero codice omissum est vocabulum *φίλαι*, quod quamquam minime est ineptum, tamen fieri potest, ut a librario quodam sit additum ad exemplum v. 764. Sed recte omissum putaverim cum Badhamo. Deinde si *οἷον* falso bis esse scriptum putaveris, ut in v. 767 falso bis scripserunt *ἔτυπεν*, dochmius erit integer, modo scribas

*οἶον ἄχος ἔπαθον,* 799

correpta quidem in *οἷον* syllaba prima, de qua re v. R. Klotz. De num. dochmiaco obs. p. 20.

In v. autem 789 et 790 dimeter erit atque trimeter, si legeris

*ὀτοτοτοῖ· τὸ δ' ἐμὸν ἄτεκνον ἄτεκνον ἔλαβ —* 789
*εν ἄρα βίον, ἐρημίᾳ δ' ὀρφανοὺς*
*δόμους οἰκήσω,*

cum in altero libro *ἄτεκνον ἄτεκνον ἔλαβεν ἄρα βίοτον* scriptum sit, in altero *ἄτεκνον* ter positum. Uno loco, Troad. v. 471 *δυστυχῆ λάβῃ τύχην* videtur demonstrari, non esse necessario scribendum *ἔλαχεν*.

Difficilior autem res est in ea parte carminis, qua querelae Creusae continentur, eoque magis, quod exceptis v. 769 et 770

ea, quae in libris sunt tradita, corruptissima videntur. Initium enim errores librariorum capiunt jam a v. 762, ubi falso scripserunt τάδε. In v. vero 763 adeo dormitarunt, ut scriberent ὦ τάλαιν' ἐγώ· εἴπ' (alter correxit εἴφ'), ὡς ἔχεις γε συμφοράν τιν' εἰς ἐμέ, συμφορᾶς, scilicet repetito post ἐγώ toto versu 759. In v. 764 iidem scripserunt ἔλαβον, ἔπαθον ἄχος βίοτον, ὦ φίλαι, pro ἄβιον, quod a G. Hermanno restitutum est. Quae cum ita sint, si nihilo minus poetam veri simile est hac quoque in parte aequabilitatem esse secutum, audacia quaedam condonabitur in restituendis verbis ejus. Videtur autem paene certum, hic quoque, ut in ea quae insequitur parte, jambos esse paedagogi, metra ad majorem animi motum describendum apta Creusae. Itaque non dubitaverim, quin ille egerit v. 763 ὤμοι, θάνοιμι, θύγατερ et 765 διοιχόμεσθα, τέκνον. Deinde quemadmodum veri simile est, Creusam a questu incepisse, non a verbis ὦ τάλαιν' ἐγὼ συμφορᾶς, ita non videtur absonum putare, dochmium hunc satis hic quidem frigidum originem debere male repetito quem supra diximus senario. Si autem quod vulgo legitur genuinum videretur, omnis tolleretur aequabilitas. Itaque non nimis longe a vero me aberrare putaverim proponentem:

*ΠΑΙ.* ὤμοι, θάνοιμι, θύγατερ. 763
*ΚΡ.* αἰαῖ αἰαῖ·
τάλαιν', ὦ τάλαιν'· ἔλαβον, ἔπαθον ἄχος
ἄβιον, ὦ φίλαι.

Quibus respondent haec, ut in libris scripta sunt:

*ΠΑΙ.* διοιχόμεσθα, τέκνον. 765
*ΚΡ.* αἰαῖ αἰαῖ·
διανταῖος ἔτυπεν ὀδύνα με πνευ-
μόνων τῶνδ' ἔσω.

Quamquam utrum Euripidem credamus aoristum ἔτυπεν usurpasse necne, difficillimum est dijudicatu. Quod si quis negaverit, fortasse concedet poetam scribere potuisse

διανταῖ' ἔτυπτεν,

ut enim in Or. v. 263 dicit πηδᾶν δυστυχῆ πηδήματα, sed in Ion. v. 717 λαιψηρὰ πηδᾷ, ita in Andr. v. 844 ἀνταίαν ἐρείσω πλαγάν, hic διανταῖα τύπτειν dicere potuit.

Ad celebrandum filii nuper reperti diem natalem dapes se natalicias instruere velle Xuthus dixerat amicosque suos invitare jusserat Ionem, ut valere iis diceret (v. 651 *θέλω γὰρ οὗπέρ σ' ηὗρον ἄρξασθαι, τέκνον, κοινῆς τραπέζης δαῖτα πρὸς κοινὴν πεσών, θῦσαί θ' ἅ σου πρὶν γενέθλι' οὐκ ἐθύσαμεν*). Chorus autem, qui hoc paedagogo narrat, *φροῦδος*, inquit,

> *παιδὸς προθύσων ξένια καὶ γενέθλια,* 805
> *σκηνὰς ἐς ἱερὰς τῆσδε λαθραίως πόσις,*
> *κοινῇ ξυνάψων δαῖτα παιδὶ τῷ νέῳ.*

Quo modo autem quae *γενέθλια* sui ipsius filii Xuthum celebraturum dicit, eadem ab eodem *ξένια* possint appellari, difficile est intellectu. Unice poterat dicere *λόγῳ μὲν ξένια, ἔργῳ δὲ γενέθλια*, sicut Xuthus v. 654 *καὶ νῦν μὲν ὡς δὴ ξένον ἄγων σ' ἐφέστιον δείπνοισι τέρψω· τῆς δ' Ἀθηναίων χθονὸς ἄξω θεατὴν δῆθεν, ὡς οὐκ ὄντ' ἐμόν.* Cum praeterea vix recte se habeant participia *προθύσων* atque *ξυνάψων* versu 706 inter se diremta priusque insolite sit dictum, v. 805 putaverim compositum esse a librario, qui *ξένια* repetisse videtur ex illis Xuthi verbis.

Paedagogus cum quam funestas Xuthus insidias struxerit quidque habuerit consilii, explicaverit, pergit

> *καὶ τῶνδ' ἁπάντων ἔσχατον πείσει κακόν.* 836

Quod recte se haberet, si aliis malis antea enumeratis jam de eo loqueretur, quod omnium esset maximum. Itaque Dobraeus correxit *κἀκ τῶνδε*. Fortasse melius est *κ ἂ ν τ ῷ δ'*, qua in re, ut Med. v. 235. Or. v. 1162. Suppl. v. 707.

In monodia Creusae melicis anapaestis composita paene omnes videntur consentire v. 887 usque ad v. 896 stropham, v. 897 usque ad v. 905 antistropham contineri. Tanta hic quoque est numerorum similitudo. Idque eo magis est veri simile, quod legitimorum quoque qui antecedunt anapaestorum periodi satis accurate inter se respondent. Sunt enim quinque, quarum prima et postrema e senis constant ordinibus; tres autem priores primae periodi, quae exordii loco est, dimetri sunt catalectici; in v. 883 inventum a Madvigio *κεράεσσιν* non potest non comprobari. Utraque periodus clauditur dimetro integro; in v. enim 886 quod A. Nauckius conjecit *αἰθέρος*

*αὐδῶ* veri est quam maxime simile. Tres autem quae mediae sunt periodi ita sunt compositae, ut prima atque postrema claudatur paroemiaco, media dimetro acatalectico. Praeterea hoc inter tres illas periodos est commune, ut in unaquaque sit basis interposita, in prima atque extrema ante ipsum paroemiacum, in media autem ante eum versum, qui illum antecedit. Denique ne numero quidem ordinum hae periodi videntur inter se differre. Nam v. 871

*καὶ τὰν ἐπ' ἐμοῖς σκοπέλοισι θεὰν*

fieri non potest quin suspectus videatur, cum ne minima quidem sit veri similitudo, Creusam medias inter res, per quas juret, coelum et lacum, invocare deam Minervam, idque paene iisdem verbis, quae postea leguntur in v. 1479 *ἃ σκοπέλοις ἐπ' ἐμοῖς τὸν ἐλαιοφυᾶ πάγον θάσσει.*

Itaque monodiam quoque strophice esse compositam veri simile putaverim, modo ne obliviscaris, in his liberioribus metris responsionem quoque esse liberiorem.

Inde a quinto autem versu strophae, sexto antistrophae vulgo sic legunt:

*λευκοῖς δ' ἐμφὺς καρποῖσιν*
*χειρῶν εἰς ἄντρον κοίτας*
*κραυγὰν ὦ μᾶτέρ μ' αὐδῶσαν*
*θεὸς ὁμευνέτας*
*ἄγες ἀναιδείᾳ*
*Κύπριδι χάριν πράσσων.*

*οἴμοι μοι καὶ νῦν ἔρρει*
*πτανοῖς ἁρπασθεὶς θοίνα παῖς*
*μοι καὶ σὸς τλάμων·*
*σὺ δὲ κιθάρᾳ κλάζεις*
*παιᾶνας μέλπων.*

V. 894 quin dochmius sit, vix potest dubium esse. Dochmios enim inter anapaestos ab Euripide interdum esse interpositos certum est. V. Hec. 186 et G. Dindorfii diss. De metris poetarum scenicorum p. 53.

Huic versui respondet antistrophicus v. 904, et ipse dochmius, quamquam aliam multiformis ejus pedis praebet speciem. Quare quae ad syllabarum aequalitatem parandam

propositae sunt conjecturae, in altero versu ὁμευνάτας, quam formam nullam esse jam ab Elmsleyo ad Med. v. 159 demonstratum est (sunt enim formae εὐνέτης, ut Or. 1392, συνευνέτης, ut Hipp. v. 416, ὁμευνέτης, ut Med. v. 953, συνευνέτις, ut Andr. v. 908, ὁμευνέτις, ut Soph. Aj. v. 501, at εὐνήτωρ, Eur. Ion. v. 912. Andr. 1041. Herc. f. 27. 97. Aesch. Suppl. v. 657. Pers. v. 134, et εὐνάτειρα Prom. v. 898. Ceterum si per metrum fieri posset, magis placeret ὁμευνέτιν), in v. 904 autem σὸς καὶ ἐμός, iis non videtur opus esse. Quamquam in hoc versu Euripides quod vulgo legitur vix scripsit; veri enim similius mihi videtur legendum esse cum Christio καὶ σοί, cum scriba v. 915 ὁ δ' ἐμὸς γενέτας καὶ σός commotus hoc commutare potuerit. Inde consequitur, ut v. 895 non possit esse dochmius; respondet enim ei v. 905 σὺ δὲ κιθάρᾳ κλάζεις, quam tripodiam anapaesticam catalecticam soluta prima arsi esse vix potest negari (v. G. Christii l. de arte metrica p. 271). Sed facillima mutatione fit, ut hi versus inter se respondeant, si scripseris ἄγαγες ἀναιδείᾳ, qui aoristus, sicut in v. 887 ἦλθες, non minus aptus est imperfecto. Eadem autem tripodia clauditur stropha, ut in parodo versum 149 νοτερὸν ὕδωρ βάλλων sequitur ejusdem metri v. 150 ὅσιος ἀπ' εὐνᾶς ὤν. In versu vero antistrophico, eodem metro composito, arsis non est soluta, quo gravioribus numeris finiatur antistropha.

De fine ejusdem monodiae

μισεῖ σ' ἁ Δᾶλος καὶ δάφνας
ἔρνεα φοίνικα παρ' ἁβροκόμαν,
ἔνθα λοχεύματα σέμν' ἐλοχεύσατο
Λατὼ Δίοισί σε καρποῖς

recte dicit H. van Herwerden hoc Δίοισι καρποῖς non posse ita intellegi, ut intellegendum esse putaverit G. Hermannus, ratione v. 815 ἄλλης γυναικὸς παῖδας ἐκκαρπούμενος habita. Quae autem ipse conjecit Δίοισί σε λέκτροις (possit etiam conjici, comparato Phoen. v. 650, Δίοις σε γάμοισιν) aut Δῖον σέ γε καρπόν, iis non opus esse mihi quidem persuasum est. Non enim conjectura, sed interpretatione huic loco subveniendum esse puto. Atque primum quidem inclitas illas arbores, laurum atque palmam, Euripides commemorat etiam in Iph.

T. v. 1099 φοίνικά θ' ἁβροκόμαν δάφναν τ' εὐερνέα καὶ γλαυκᾶς θαλλὸν ἱρὸν ἐλαίας, Λατοῦς ὠδῖνι φίλας, et Hec. v. 459 ἔνθα πρωτόγονός τε φοῖνιξ δάφνα θ' ἱεροὺς ἀνέσχε πτόρθους Λατοῖ φίλᾳ, palmam enim illam manu tenens Latona dicebatur peperisse vel palmam laurumque, quarum surculi quoniam ipsius Iovis jussu subito dicebantur enati esse, teste schol. ad Hec. 458 εἰς ἣν Δῆλον ἡ Λητὼ ἀφικομένη ἔτεκεν Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν, δύο φυτῶν ὑπὸ Διὸς ἀναφυέντων, φοίνικος καὶ δάφνης, οἷς ἐρειδομένη εὐκόλως τὸ ἔμβρυον ἐξήγαγεν, poterant appellari Δῖοι, ut in Hec. v. 460 iidem πτόρθοι appellantur ἱεροί. Quare si poeta dixisset Δίοισί σε θαλλοῖς, cum auctore Hesychio θαλλὸς sit κυρίως κλάδος ἐλαίας ἢ φοίνικος, nemo, opinor, miraretur, haec verba addita esse ad celebrandas arbores illas divino numine terra enatas, prope quas vel quarum ope Latona partum edidisset. At dixit Δίοισι καρποῖς. Hoc vero vocabulum hic ea significatione positum esse, ut idem fere valeat quod βλάστημα, quo Euripides frequentius utitur, inde apparet, quod cum in Herc. f. v. 178 γίγαντας appellet γῆς βλαστήματα (conf. v. 5), in Phoen. v. 937 et genus spartorum dixit καρπὸν χθονὸς et Menoeceum. Praeterea apud Hesychium est καρποῖς· βλαστήμασιν, quae glossa ad hunc ipsum Ionis locum videtur referenda esse.

Post praeclaram illam Creusae monodiam, qua quid intercedat inter ipsam atque Apollinem, profitetur, paedagogus dicit:

> ὦ θύγατερ, οὔτοι σὸν βλέπων ἐμπίμπλαμαι
> πρόσωπον, ἔξω δ' ἐγενόμην γνώμης ἐμῆς.

Quae si recte tradita essent, non videretur dubium, quo modo essent intellegenda. Sunt enim exempla hujus locutionis, ut Hipp. v. 664 (ad quem scholiastae ταῦτα δὲ λοιπὸν ὡς τεχνίτης ῥήτωρ, ubi fortasse pro λοιπόν legendum λέγει). At inepta esset sententia. Itaque Nauckius elegantissime atque sagacissime conjecit οἴκτου pro οὔτοι. Unum tamen hoc dubitaverim: videtur enim paedagogus ut chorus vehementiore animi motu perturbatus esse quam misericordia; hac enim si commotus esset, vix dicere posset ἔξω ἐγενόμην γνώμης ἐμῆς et quae sequuntur. Itaque haud scio an probabilius sit ὄκνου, metus, quod vocabulum ut rarius est apud Euripidem, quam

apud Sophoclem (v. Phil. v. 225 coll. Oed. Col. v. 1625), ita legitur apud eundem, ut Or. 794 *οὐκ ἄρ' ὀκνήσεις; ὄκνος γὰρ τοῖς φίλοις κακὸν μέγα*, ad quem locum recte scholiastae: *φόβος γὰρ τοῖς φίλοις ὑπάρχει μέγα κακόν*, ut fragm. 278, ubi vocabulo *ὄκνος* opponitur *θράσος*.

In v. 952 paedagogus si eadem uti voluisset irrisione, qua Creusa in v. 905, dicere potuisset

*τέθνηκ', Ἀπόλλων δ' ὁ καλὸς οὐδὲν ἤρκεσεν;*

sed librorum *κακός* recte se habet. In Melanippae autem fragmento 506:

*ὦ τέκνον, ἀνθρώποισιν ἔστιν οἷς βίος*
*ὁ μικρὸς εὔκρας ἐγένεθ', οἷς δ' ὄγκος κακόν,*

quin *καλόν* legendum sit, non videtur dubium esse. Conf. Iph. A. v. 449 *προστάτην δὲ τοῦ βίου τὸν ὄγκον ἔχομεν.* Ion. v. 647. Frequens ille librariorum error. Conf. Ion. v. 450.

Paedagogus ad opus Ionis interimendi accessurus pedem suum, ne sese deserat, cohortatur:

*ἄγ', ὦ γεραιὲ πούς, νεανίας γενοῦ* 1041
*ἔργοισι, κεἰ μὴ τῷ χρόνῳ πάρεστί σοι.*
*ἐχθρὸν δ' ἐπ' ἄνδρα στεῖχε δεσποτῶν μέτα*
*καὶ συμφόνευε καὶ συνεξαίρει δόμων.*

In altero versu praetulerim *ἔργοισί γ', εἰ*, cum *καὶ* minus sit necessarium (v. Iph. A. v. 907), in tertio autem *δεσποτῶν* vix esse tolerandum puto. Nam dubium esse non potest quin hoc vocabulum ita intellegendum sit, ut paedagogus sese appellet *δεσπότην ποδός*, ut in Soph. Phil. v. 262 *τῶν Ἡρακλείων ὄντα δεσπότην ὅπλων*, Eur. Hel. v. 572 *ποίων δὲ λέκτρων δεσπότης ἄλλων ἔφυς;* Neque vero videtur veri simile, in hac significatione pluralem numerum potuisse usurpari, praesertim cum toties in hac fabula *δεσπόται* dicantur rex et regina, hanc autem paedagogus dicere non possit, cum in v. 1039 dixerit *σὺ μέν νυν εἴσω προξένων μέθες πόδα· ἡμεῖς δ' ἐφ' ᾧ τετάγμεθ' ἐκπονήσομεν.* Itaque legendum

*στεῖχε δεσπότου μέτα.*

Servus Creusae narrat, quo modo paedagogi consilium Ionis interimendi sit patefactum: senex enim, inquit,

λαβὼν ἐξαίρετον,
ὡς τῷ νέῳ δὴ δεσπότῃ χάριν φέρων,
ἔδωκε πλῆρες τεῦχος, εἰς οἶνον βαλὼν
ὅ φασι δοῦναι φάρμακον δραστήριον
δέσποιναν, ὡς παῖς ὁ νέος ἐκλίποι φάος·
κοὐδεὶς τάδ' ᾔδειν·

Deinde narrat Ionem infaustae vocis causa ab uno e servis emissae non bibisse vinum, sed in terram effudisse; quod cum columba hausisset, eam subito ortis convulsionibus mortuam esse. Unde suspicione de veneno mota Ionem comprehendi senem jussisse, hunc facinus confessum esse:

ὤφθη δὲ καὶ κατεῖπ' ἀναγκασθεὶς μόλις
τόλμας Κρεούσης πώματός τε μηχανάς.

Tum vero Ionem Delphorum convocatis principibus dixisse:

ὦ γαῖα σεμνή, τῆς Ἐρεχθέως ὕπο
ξένης γυναικὸς φαρμάκοισι θνῄσκομεν.

Eundem igitur hominem, quem omnia quo modo facta sint et cognovisse praesentem et narrasse manifestum est, num credibile videtur, quod in v. 1185 narrat, dicere potuisse se fando audivisse? Minime vero. Una literula mutata si restituemus ὅ φ η σ ι, verba ejus et inter se congruent et cum iis, quae Ion ipse dixit v. 1220. Commutatorum autem inter se verborum φησί et φασί non desunt exempla. V. in verbis schol. in Arist. p. 671 de Protesilao fabula Euripidea in ed. Dindorfiana Poet. Scen. Gr. p. 338. Deinde in v. 1187 ᾔδειν, quod pro ᾔδει librorum a Piersonio est restitutum, non minus videbitur mirum consideranti, quid naturae sit conveniens. Si enim non potest esse dubium, quin τάδε referatur ad εἰς οἶνον βαλών, hoc unum dicere potest servus, animadvertisse neminem venenum a servo immissum esse poculo. Quam ob rem hic quoque vel minima literarum mutatione vel paene nulla opus esse ratus legendum putaverim: κοὐδεὶς τάδ' ε ἶ δ ε ν, quod jam ab Herwerdeno esse propositum video. In v. denique 1221 praesens ideo non videtur ferendum, quod effugisse se mortis periculum Ion scit, quippe qui in v. 1210 interrogaverit: τίς μ' ἔμελλεν ἀνθρώπων κτανεῖν; Neque enim ut auxilium petat, convocat Delphos, sed ut una cum ipso scelus ulciscantur.

Itaque *θνήσκομεν* i. e. *μέλλω θανεῖν* cum nullo modo possit dicere, reponendum videtur *φαρμάκοις ἐθνήσκομεν*, quod jam Hartungum conjecisse sero cognovi.

Postquam, ut supra dictum est, Ion audita mali ominis voce vinum ad libandum paratum et ipse in terram effudisset et ceteros jussisset effundere, silentium esse factum servus narrat cunctosque tacitos fecisse id quod jussi erant facile est intellectu. Dum autem, inquit, ministri denuo mixto in cratera vino poculis illud infundunt, agmen columbarum advolat:

*ὡς δ' ἀπέσπεισαν μέθυ,*
*εἰς αὐτὸ χείλη πώματος κεχρημέναι*
*καθεῖσαν.*

Apparet, cum antea servus narraverit vinum esse effusum neque ullo modo jam oratio ad illam rem narrandam possit redire, nullum hic esse locum illis verbis *ὡς δ' ἀπέσπεισαν μέθυ*, neque video quo modo causa mutetur, si Nauckii conjecturam *ἀπεσπείσθη* probaveris. Sunt autem qui Reiskio assentiantur, post illum versum rato excidisse alium, quo scilicet servus narraret, ad pristinam quemque sedem redisse vacuumque reliquisse spatium, in quo columbae considerent. At neque hoc videtur satis veri simile neque ipse versus a Reiskio confectus. Itaque aliam viam licebit temptare. Nam initium quoque v. 1199, cum in altero codice *ἐς αὐτὸ* in margine sit adscriptum, in altero autem scriptum videatur *κεἰς αὐτά*, apparet non ita esse traditum, ut nulla superesset dubitandi causa. Quare si non ipsa poetae verba, at ea, quae illius esse possint, restitui putaverim scribendo:

*οὗ δ' ἀπέσπεισαν μέθυ,*
*ἐνταῦθα χείλη πώματος κεχρημέναι*
*καθεῖσαν,*

quibus verbis consentanea sunt quae narrantur de una illa columba (v. 1202), *ἣ δ' ἕζετ' ἔνθ' ὁ καινὸς ἔσπεισεν γόνος.*

Eadem cum vinum veneno corruptum hausisset, postremam vocem dicitur emisisse:

*ἐκ δ' ἔκλαγξ' ὄπα*
*ἀξύνετον αἰάζουσα.*

Hoc recte mihi H. van Herwerden videtur improbare;

sed quod ipse proponit ὀξύτονον, non minus displicet, quam quod in libris est. Aptius enim moribus hominis esset, si diceret, facile fuisse intellectu, quid sibi vellet lugubris ille columbae clamor. Itaque cum haud raro factum sit, ut librarii ἀ cum εὐ commutarent, ut in Eur. fragm. 57 apud Clementem Alex. legitur ἀγλωσσία, apud Stobaeum εὐγλωσσία, ut in ipso Iphigeniae Tauricae v. 1092, ubi in uno libro est ἀξύνετον, supra scripto εὐ, hoc quoque loco commendaverim

εὐξύνετον αἰάζουσα.

In v. 1253

ποῖ φύγω δῆτ'; ἐκ γὰρ οἴκων προύλαβον μόλις πόδα,
μὴ θανεῖν· κλοπῇ δ' ἀφῖγμαι διαφυγοῦσα πολεμίους.

permirum videtur illud προλαμβάνειν πόδα, cum quid valeat προλαμβάνειν apud Euripidem, ex Ion. v. 407 et Hel. v. 339 satis appareat. At βάλλειν ejusque composita ita usurpantur, ut Rhes. v. 721 βάλλειν ἴχνος ποδός, coll. El. v. 1344, El. v. 96 ἐκβάλλειν πόδα ἄλλην ἐπ' αἶαν, Heracl. v. 661 προσβάλλειν πόδα, Ion. v. 1321, ubi aut cum Dobraeo θριγκοὺς τούσδε aut cum G. Dindorfio θριγκὸν τόνδε, cum Badhamo autem ὑπερβάλλω πόδα legendum est. Itaque in v. 1253 legendum videtur προύβαλον μόλις πόδα.

Verbi πιμπράω unum apud poetas tragicos traditum est exemplum in v. 1293. Neganti enim Ioni, se hostiliter invasisse domum Creusae, nam οὔτοι, inquit, σὺν ὅπλοις ἦλθον εἰς τὴν σὴν χθόνα, Creusa respondet:

μάλιστα· κἀπίμπρας γ' Ἐρεχθέως δόμους.

Alterum, quod legebatur, exemplum in Sylei fragmento (fr. 688, v. 1, apud Phil. Iud. vol. II, p. 461) dudum a Piersono correctum est. Possis hic quoque legere κἀπίμπρης. Sed haud scio an melius sit κἀμπιπράς γ', ut dicat καὶ ἦλθές γ' ἐμπιπράς, conans incendere (v. Elmsleyus ad Heracl. 1003). Et plerumque quidem per καὶ — γέ additur novum verbum, ut Hel. 106. 110. Hec. 993. Or. 1600. Iph. Aul. 736. 1464. Med. 944. El. 658. Suppl. 766. Or. 487; sed simillima sunt exempla in Heracl. v. 641, ubi servus Iolao interroganti: ἥκεις ἄρα respondet μάλιστα· καὶ πρός γ' εὐτυχεῖς τὰ νῦν τάδε, et in Phoen. v. 1212, ubi nuntio interroganti:

*μεῖζόν τι χρῄζεις παῖδας ἢ σεσωσμένους* Iocasta respondet: *καὶ τἀπίλοιπά γ᾽ εἰ καλῶς πράσσω κλύειν*, ut subaudiendum sit *χρῄζω*.

In oratione Pythiae quam diximus etiam alia sunt, quae suspicionem moveant. Dicit enim illa

*ἐπίσχες, ὦ παῖ· τρίποδα γὰρ χρηστήριον*
*λιποῦσα θριγκὸν τόνδ᾽ ὑπερβάλλω πόδα*
*Φοίβου προφῆτις, τρίποδος ἀρχαῖον νόμον*
*σῴζουσα, πασῶν Δελφίδων ἐξαίρετος.*

Ut enim probemus Heimsoethii conjecturam, qui pro *τρίποδα* legendum censet *δῶμα*, tamen quemnam illa morem servare dicatur, prorsus non potest intellegi. Aut qua re eum servat? An egrediendo? Num hoc dici potuit *ἀρχαῖον νόμον σῴζειν*? Ne Seidleri quidem sententia, qui fortasse haec verba ad ipsum praegressum *Φοίβου προφῆτις* referenda esse dicit, res videtur expediri. Itaque haec verba a *τρίποδος* usque ad *πασῶν*, quod hic non magis est necessarium quam in v. 92, emblema esse putaverim diorthotae, cui placuit notam illam locutionem inserere (conf. v. 20 *προγόνων νόμον σῴζουσα*, et Suppl. v. 526 et 671) atque Euripidem scripsisse

*Φοίβου προφῆτις, Δελφίδων ἐξαίρετος.*

Privignos non amari a novercis cum aliis locis legimus, tum in v. 1329, ubi Pythia insidias Creusae videtur excusare his verbis:

*προγονοῖς δάμαρτες δυσμενεῖς ἀεί ποτε.*

Quodsi comparabis Alc. v. 309 *ἐχθρὰ γὰρ ἡ ἐπιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις τοῖς πρόσθ᾽*, aut Aegei fragm. 4 *πέφυκε γάρ πως παισὶ πολέμιος γυνὴ τοῖς πρόσθεν ἡ ζυγεῖσα δευτέρα πατρί*, intelleges in v. 1329 Pythiam paene nimis studere brevitati. Nam *δεύτεραι* certe addere debebat. Aut si *μητέρες* diceret, comparari posset id, quod Creusa dicit v. 1025 *φθονεῖν γάρ φασι μητρυιὰς τέκνοις*. Plus vero mihi quidem suspicionis movere videtur, quod Pythiae respondet Ion (v. 1330):

*ἡμεῖς δὲ μητρυιαῖς γε πάσχοντες κακῶς.*

Ineptum hoc ἡμεῖς in universum dictum; idem enim valet quod nos privigni. Multo aptius esset προγονοὶ δέ. Etiam major oritur suspicio ex iis, quae sequuntur, Pythiae verbis. Dicit enim (v. 1331 et v. 1333): μὴ ταῦτα· λείπων ἱερὰ καὶ στείχων πάτραν καθαρὸς Ἀθήνας ἔλθ᾽ ὑπ᾽ οἰωνῶν καλῶν. Quae ita intellegenda videntur, ut μὴ ταῦτα idem valeat quod μὴ ταῦτα εἴπῃς aut μὴ ταῦτα διαλεγώμεθα. Plerumque autem aut id quod antecedit verbum cogitatione repetendum aut subaudiendum esse δράσῃς apparet e Med. v. 336 μὴ δῆτα τοῦτό γ᾽, ἀλλά σ᾽ αἰτοῦμαι. Hel. v. 939 μὴ δῆτα, παρθέν᾽, ἀλλά σ᾽ ἱκετεύω τόδε. Soph. Phil. 1366 κἄμ᾽ ἀναγκάζεις τόδε; μὴ δῆτα, τέκνον. Vid. Aesch. Prom. v. 1075 μὴ δῆτ᾽, αὐταὶ δ᾽ ὑμᾶς αὐτάς, ubi aut repetendum εἴπητε aut cum scholiasta intellegendum αἰτιᾶσθε. Quodsi hoc quoque loco multo aptius videbitur, Pythiam persuadere Ioni, ne perficiat id quod perpetrandum sibi proposuerit (v. 1328 τοὺς κτείνοντας ἀνταπολλύναι), ut in v. 1335, non apte interrumpi putabimus diverbium sapientibus illis sententiis iisque expunctis genuinam ejus formam restitui.

In v. 1377, cum queribundus dicat Ion

χρόνον γὰρ ὅν μ᾽ ἐχρῆν ἐν ἀγκάλαις<br>
μητρὸς τρυφῆσαι καί τι τερφθῆναι βίου,<br>
ἀπεστερήθην φιλτάτης μητρὸς τροφῆς,

aoristus non satis concinne videtur positus. Cum (τοῦτον τὸν) χρόνον, ὃν ἐχρῆν, melius congrueret ἀπεστερήμην, carebam.

Versus 1426 usque ad 1429 in libris hoc modo scripti sunt:

ΙΩΝ. ἔστιν τι πρὸς τῷδ᾽, ἢ μόνῳ τῷδ᾽ εὐτυχεῖς;<br>
ΚΡ. δράκοντες ἀρχαῖόν τι παγχρύσῳ γένει.<br>
ΙΩΝ. δώρημ᾽ Ἀθάνας, ἣ τέκν᾽ ἐντρέφειν λέγει;<br>
ΚΡ. Ἐριχθονίου γε τοῦ πάλαι μιμήματα.<br>
ΙΩΝ. τί δρᾶν, τί χρῆσθαι, φράζε μοι, χρυσώμια;

In quibus sunt quae optime, sunt quae minus bene correxerint homines literati. Atque in postremo quidem versu egregia est L. Dindorfi emendatio χρυσώματι vel χρυσώμασι. In primo autem cum plerisque probetur Piersoni (in Veris. p. 13) εὐστοχεῖς, ego Herwerdeno assentior id quod in libris est de-

fendenti, cum aliis de causis, tum maxime unius loci habita ratione, Iph. T. v. 329 *οὐδεὶς τὰ τῆς θεοῦ θύματ' ηὐτύχει βαλών*, quamquam hic quoque fuerunt qui temere vellent corrigere *ηὐστόχει*. Pro dativo Usenerus conjecit *μόνον τόδ'*, Tournierus *ἦ 'ν μόνῳ*, ego comparato Suppl. v. 303 *ἦ μόνῳ ἐν τῷδ'*. Deinde de v. 1427 fere inter omnes constat haec non esse verba ipsius poetae. Et pro *γένει* quidem librariorum, qui exitu postremi verbi proximi versus decepti sunt, Heathius proposuit *γένυι*, Toupius (*πάγχρυσοι*) *γένυν*. Veri autem quam simillimum est poetam duali numero usum esse, ut in v. 22, ubi quam proni fuerint librarii ad mutandum dualem, docet quod scripserunt *φρουρὼ παραζεύξασα φύλακας σώματος δισσὼ δράκοντε*. Ut hic *φύλακε*, ita in v. 1427 Porsonus restituit *δράκοντε*, pro *CAPXAIONTI* autem proposuit *μαρμαίροντε*. Quod quamquam paene omnibus video probari, tamen libere fateor magis mihi placuisse *λιχμαίνοντε*, quod coll. v. Bacch. 697 Wecklinus conjecit (in Arte Soph. em. p. 195), nisi quod praetulerim *λιχμάζοντε*, cum haec videatur antiquior forma; legitur enim in Hes. scut. v. 235. Nunc vero invenisse mihi visus sum quod propius accedat ad traditas literas. Euripides enim aut ardentes oculos serpentium solet praedicare (v. v. 1261. Herc. f. v. 1260. Phoen. v. 660. fragm. 862), aut colorem pellis (v. Iph. T. v. 1245. Phoen. v. 820), aut denique maxillas voraces, ut in Herc. f. v. 253 *λάβρον δράκοντος . . . γένυν*. Conf. Aesch. fr. 442 *μαργῶσαν γνάθον* de pestilentia, et *μάργοις γνάθοις* in Phryn. fr. apud Tzetz. ad. Lycophr. v. 434 (p. 14 ed. Wagn.) de flamma. Quare proposuerim legendum esse *KAPXAPΩΓE*, quod, cum jam in Homeri Il. l. X v. 360 canes dicantur *καρχαρόδοντες*, in Aristotelis autem hist. an. l. II c. 83 legatur *καρχαρόδοντες δὲ πάντες εἰσὶν ὄφεις*, idem potest valere quod *mordaces*, ut illi serpentes dicantur speciem praebuisse parantium sese ad defendendos dentibus suis infantes. In v. 1428 recte mihi Dobraeus videtur proposuisse *ἐντρέφειν; λέγε*. Neque vero iis quae dixi rem absolutam putaverim. Licet enim Matthiaeus et Herwerdenus satis probaverint Ionem scire posse, quod scire videatur in v. 1428, tamen quo modo fiat ut illud quidem sciat, in v. autem 1430 tanta ejus sit ignorantia, nullo modo posse intellegi dudum rectissime judicavit Heilandius

in observatiunculis metricis, programmati gymn. Stendal. a. MDCCCLV insertis, p. 16. Idem verissime videtur animadvertisse, intermitti hic stichomythiam, quoniam longiore descriptione secundae monimentorum partis opus esse poetae visum sit. Atque quid tandem interest, hicne omittatur stichomythia an a. v. usque 1532? Neque vero eidem possum assentiri, cum v. 1427, 1428, 1429 tribuit uni Creusae. Nam veri similius videtur, Ionem illas res additas esse infanti mirantem interpellare Creusam, ut paedagogus eandem interpellat in v. 1012, atque interrogare, cum hisne educandi fuerint pueri; affirmare autem illam hoc ejusque rei causa uti illa particula, quam ajentis esse nemo ignorat. Itaque legendum putaverim

*KP.* δράκοντε καρχάρω γε, παγχρύσω γένυν,
δώρημ᾽ Ἀθάνας — *ΙΩ.* ἦ τέκν᾽ ἐντρέφειν; λέγε.
*KP.* Ἐριχθονίου γε τοῦ πάλαι μιμήματα.

Simili modo stichomythia intermittitur in Soph. El. v. 1209, cum antilabae incipiant a v. 1220. V. Lycophr. v. 34 κάρχαρος κύων.

In lyricis quae sequuntur, cum v. 1485 inepta sit sententia, nisi verba instantis, ut Creusa quae praeter ea sint facta narret, esse putamus, ut in v. 1348 λέγε, πέραινε σοὺς λόγους (conf. Hel. v. 663), inde sequitur, ut in v. 1484 oratio Creusae absoluta esse non possit, sed ita instituta esse debeat, ut Ioni quam maximam afferat exspectationem, de summa re sese jam edoctum iri. Accedit quod κρυπτόμενον λέχος satis videtur insolite dictum, cum poeta κρυπτὸν potuerit dicere, ut in v. 73. 1524. Hipp. 154. El. 922. Itaque haud scio an scribendum sit

κρυπτὸν μὲν λέχος ηὐνάσθην —

qua re audita Ion morae impatiens instat

λέγ᾽· ὡς ἐρεῖς τι κεδνὸν εὐτυχές τέ μοι. 1485

Κρυπτὸν autem λέχος ηὐνάσθην dictum est ut in El. v. 247 ἐγημάμεσθ᾽, ὦ ξεῖνε, θανάσιμον γάμον. Deinde in Creusae verbis

δεκάτῳ δέ σε μηνὸς ἐν κύκλῳ
κρύφιον ὠδῖν᾽ ἔτεκον Φοίβῳ

prior versus tum demum recte se haberet, si μὴν idem esset quod luna. Cum autem idem valeat quod mensis, aut plurali numero opus est, ut in Hel. v. 112 ἑπτὰ σχεδόν τι καρπίμους ἐτῶν κύκλους, ut σελήνας dicit menses in Hel. v. 114. Alc. v. 431, ἡλίους dies ib. 652 et in El. v. 654, sed eosdem ἡλίου διεξόδους in Andr. v. 1084, aut μήνης videtur necessarium (v. fragm. 997. Aesch. Prom. v. 797). Haec res tantum mihi momentum habere videtur, ut quo metro sit v. 1486, jam non liceat dubitare, praesertim cum v. quoque 1487 haud facile sit dochmiacus. Cum igitur ille, ut nunc legitur, idem metrum habeat quod v. 1480. 1482. 1486. 1499 (et Hel. v. 657. 680. 681), tamen ut inter breviora dactylica metra interpositum est longius (v. 1478. 1479. 1505. 1506 et 1484), ita anapaestico quoque poetam et breviore (v. 1475) et longiore (v. 1466. 1508) usum esse ratus proposuerim

δεκάτῳ δέ σε μήνης ἐν κύκλῳ
κρυφίαν ὠδῖν' ἔτεκον Φοίβῳ.

Ita in carminibus maximam partem dochmiacis anapaestici dimetri sunt in Herc. f. v. 883. Hec. 1066. Iph. T. 889. 895. Andr. 862.

---

## II.

In extrema parte Ionis Euripideae postquam Xuthus, suum esse filium Ionem ratus, de scaena decessit, res eo perducitur a poeta, ut cistella, in qua Ion expositus erat, e templo elata cum monimentis neque Creusa dubitet, quin filium, neque Ion, quin matrem invenerit. De patre autem, cum Apollinem esse ei aegre Creusa persuadeat, sed persuasisse tandem videatur, denuo tamen, id quod vere est Euripideum, Ionem subit tanta suspicio, ut neglecto ipso Creusae jurejurando statim se in templum dicat ingressurum atque ipsum Apollinem consulturum esse. Qua in re quamquam mirum videri potest, Ionem hic sive nescire sive oblitum esse, quod in initio fabulae non ignorat adulescens sacrarius (v. 226), non sine certis sacrificiis deum potuisse consuli, tamen condonemus illud sive vehementer commoto ejus animo sive poetae ad finem properanti videaturque res eo redacta esse, ut machina sit tollenda.

In tempore igitur adest Minerva nodum solutura. Nam praesto quidem erat, si prologo fides est habenda, etiam oculatus testis, quem Plautus ait unum pluris esse decem auritis, Mercurius. Sed illum satis illepide auctor prologi sive in templum sive in lauretum delegaverat, ut audiret τὸ κρανθὲν παιδὸς πέρι (v. 77), ibique usque ad finem fabulae eum mansisse putat occultum spectatorem L. Eysertus. Praesto erat ipse Apollo, quem non Athenienses solum, sed omnes Iones venerabantur ut θεὸν πατρῷον (v. Plat. Euthyd. p. 302 D). Quem insulse et absurde poeta videtur excusare maluisse, quam gravissimo suo testimonio rem discernentem facere. Neque vero inepte Minerva inducitur, ut a dea praeside Atheniensium terrae et nodus solvatur et confirmetur divina origo auctoris gentis Ionicae, praesertim cum Creusa Ionem, ut sibi credat, per eandem deam obtestata sit v. 1528.

Et primum quidem aspectu deae fugam capessentes jubet manere, amicum adesse numen.

μὴ φεύγετ'· οὐ γάρ πολεμίαν με φεύγετε, 1553
ἀλλ' ἔν τ' Ἀθήναις κἀνθάδ' οὖσαν εὐμενῆ.

In quibus Elmsleyi conjectura (ad Iph. Aul. v. 99) λεύσσετε, quam Nauckius recepit, non opus esse, Kirchhoffii ἐφεύρετε non aptum alii docuerunt, ut Kvičala in Ann. Philol. a. MDCCCLXV p. 329. Deinde ad unam Creusam conversa haec dicit:

ἐπώνυμος δὲ σῆς ἀφικόμην χθονός, 1555
Παλλάς, δρόμῳ σπεύσασ' Ἀπόλλωνος πάρα,

quod explicatur v. 1570. Curru enim se advectam esse dicit, sicut in fabula Helena advehuntur Castor et Pollux, quos v. 1495 chorus invocat μόλοιτέ ποθ' ἵππιον ἅρμα δι' αἰθέρος ἱέμενοι (v. v. 1665). De ceteris autem diis qui dicuntur ex machina Euripides nihil dicit, praeterquam quod nonnullos per aera advenire mentionem facit. Vid. Androm. v. 1228. El. v. 1233 usque ad 1235; comparari etiam potest Insania in Herc. fur. v. 880 et Minerva Aeschylea, si quidem in Eum. v. 401 lectio πώλοις vera est. Atque σπουδῇ quidem haud raro Euripides facit homines in scaenam prodeuntes, ut Peleum et Orestem in Andr. v. 546 et 880, Pentheum in

Bacch. v. 212, Ulixem in Hec. v. 216, Demophontem in Heracl. v. 118, chorum in Hec. v. 98 (conf. Or. v. 456 *ἁμιλλᾶται*, Troad. v. 232 *ταχύπουν*, Or. v. 1550 *ὀξύπουν*), sed *δρόμῳ* accurrentem praeter Cassandram (Troad. v. 307) unum induxit Pyladem in Oreste (v. 726), ubi summo in periculo atque discrimine rem esse et e fabula cognoscitur et e trochaicis quibus utitur poeta tetrametris. At in Ione ne Pythiam quidem ita voluit inducere, ut gradum acceleraret (v. 1320). Itaque valde displicet dea *δρόμῳ σπεύσασα*, non quo, si festinato opus erat, advolantem poeta fingere debuerit, non curru jungendo tempus terentem, sed quia dea citato cursu se advectam esse dicens, quasi periculum esset in mora, abhorrere videtur a gravitate et arte poetae, qui ne in ceteris quidem fabulis, ubi res ad vim inferendam mortisque periculum redacta est, ut in Helena (v. 1639), Oreste (v. 1618), Iphigenia Taurica (v. 1422—1434), deos ex machina citato cursu faciat advenientes.

Quis autem est quem porro non moveat Apollinis illa, quam dea soror describit, absurda atque abhorrens timiditas! Pergit enim

*ὃς εἰς μὲν ὄψιν σφῷν μολεῖν οὐκ ἠξίου,* 1557
*μὴ τῶν πάροιθε μέμψις εἰς μέσον μόλῃ,*
*ἡμᾶς δὲ πέμπει τοὺς λόγους ὑμῖν φράσαι.*

Mitto deum ita videri exuisse naturam divinam, ut Creusam, quam unam paene ludibrio habitam esse ab illo recte monuit G. Hermannus (in praef. ed. p. XXXV), rerùm eventu quam maxime delectatam esse unus nesciat; nonne summo opere displicuisse putandus est Atheniensibus in scaena descriptus ille Apollinis *τοῦ πατρῴου* metus, qui cum omnia bene vertisset, in conspectum venire non auderet eorum, qui non salutem solum eidem debebant, sed etiam quod matri filius, filio mater erat reddita? Aliud autem est, eum, qui gravissima injuria a diis affectus sibi videatur, opprobrio id vertere numinibus, ut ipsa Creusa (v. 885 *μομφάν*, v. 931 *κατηγορεῖς*), aliud Ionem dicere, Apollinem pudore adductum non esse responsum daturum (v. 367), aliud a dea pronuntiari deum vitare aspectum eorum, a quibus temere putat se vituperatum iri. Quid enim hoc esset aliud quam confessionem factae injuriae con-

confirmare testimonio? Quodsi v. 1558 spurium judicaveris, ut G. Dindorfius, tamen remanebit indigna imago dei ne in conspectum quidem suorum venire volentis. Concedendum praeterea, verba *μέμψις εἰς μέσον ἔρχεται* vix posse firmari similibus, nedum paribus exemplis (cf. Troad. v. 54. Hel. v. 1542. Suppl. v. 439. Hippol. v. 1310 et Koechlyi adnot. ad Iph. T. v. 900). Minus quoque usitatum videbitur *τοὺς λόγους*, si comparaveris Iph. T. v. 1436 *ἄκουσον τῆσδ' Ἀθηναίας λόγους* vel. Or. v. 1628 *ἵν' εἰδῇς οὓς φέρων ἥκω λόγους*. Denique haud scio an aptius dixisset

*ἡμᾶς δὲ πέμπει τούσδε σοὶ φράσαι λόγους,*

quod et unius Ionis dubitatione factum est, ut dea mitteretur ab Apolline, et ad unum illum statim oratio convertitur.

Quid autem est quod Apollo deam nuntiare jussit Ioni et Creusae? Nempe

*ὡς ἥδε τίκτει σ' ἐξ Ἀπόλλωνος πατρός,*
*δίδωσι δ' οἷς ἔδωκεν, οὐ φύσασί σε,*
*ἀλλ' ὡς νομίζῃς οἶκον εὐγενέστατον.*

Cum de una re Ion incertus oraculum fuerit consulturus (v. 1548 *εἴτ' εἰμὶ θνητοῦ πατρὸς εἴτε Λοξίου*, coll. v. 1606), tamen poeta hoc quoque, de quo antea Ion erat locutus (v. 1532), addendum censet, quid secutus Apollo adulescentem tradiderit *οἷς ἔδωκεν*, i. e., ut *οὐ φύσασι* ostendit, Xutho (v. 560). De oraculi enim responso hic sermo est, quod Xutho erat editum v. 534 et 787. Quamquam autem incerta est lectio, cum in v. 1562 alii alia conjecerint, ut Lentingius *κομίζῃ σ'*, quod si scribatur, etiam *οἶκος εὐγενέστατος* legendum videtur Kirchhoffio, Badhamus vel *κομίζοι'* vel *ἐνίζοις*, tamen non est dubium, quin poeta voluerit dicere, Apollinem id egisse, ut Ion reciperetur in domum nobilissimam. At hoc neque antea optavit (cf. v. 670) neque nunc tanti esse existimat Ion, qui ut in regio solio considat adhortanti Minervae satis frigide respondeat (v. 1618) *ἄξιον τὸ κτῆμά μοι*. Neque vero magis illud interesse poterat ipsius dei. Nam jure ac non temere possumus quaerere, hisne causis Apollo possit adductus esse, ut Ionem Xutho traderet? Quid tandem naturae magis erat consentaneum et Apolline magis dignum quam

Xutho tradere filium ut marito Creusae? Cui alio modo reddi filius non potuit. Quanto igitur aptius hoc dixisset! Quanto prudentius ipse auctor prologi (v. 70) *καὶ πεφυκέναι κείνου σφε φήσει, μητρὸς ὡς ἐλθὼν δόμους γνωσθῇ Κρεούσῃ!* At eadem Creusa dicit (v. 1540): *εὐεργετῶν σε Λοξίας εἰς εὐγενῆ δόμον καθίζει.* Alia vero est causa Apollinis, alia Creusae, quae cum ne jurejurando quidem (v. 1528) adulescentulum, ut sibi fidem haberet, permoveri vidisset, ultima illa persuadendi ratione usa ad illud mendacium confugit. Unde originem traxisse videtur insipidus v. 1562, quem qui composuit re vera non aliis causis commotum esse potuisse Apollinem putavit, quam quibus eum commotum esse Creusa suspicata erat ad ultimum redacta.

Praeterea fieri non potest quin maximam suspicionem moveant in deae oratione personae, quas alloquitur, non suo quaeque nomine appellatae neque alio modo distinctae. Ut enim eos, quos quis alloquitur qui in scaena est, nomine appellato distinguere minus est necessarium, cum quem alloquatur, e corporis statu motuque mutato manifestum sit, ita dii, quos super scaenam in machina constitisse neque processisse in scaenam constat, distinguere eos, quibuscum loquuntur, debent. Atque invenimus hunc morem apud Euripidem ut in ceteris fabulis, ita in posteriore parte orationis Minervae a v. 1572 (*χώρει, Κρέουσα*) usque ad v. 1603, cum *σοί* quoque v. 1589 ad Creusam referendum sit. Sed in priore parte ita neglecta est illa lex, ut oratio perspicua esse non videatur. Initio enim Ionem et Creusam alloquitur — *μὴ φεύγετε* —, tum unam Creusam — *σῆς χθονός* —, tum iterum utrumque — *σφῶν* et *ὑμῖν* —, in v. 1560 denique oratio primum convertitur ad unum Ionem — *ὡς ἥδε τίκτει σέ* —, sed ne is quidem nomine appellato distinguitur. Quoque minus perspicua sint omnia, nusquam inveniuntur transitiones quales Iph. T. v. 1442 *πρὸς μὲν σ' ὅδ' ἡμῖν μῦθος* vel Suppl. v. 1213 *σοὶ μὲν τάδ' εἶπον* vel Or. v. 1642 *τὰ μὲν καθ' Ἑλένην ὧδ' ἔχει* vel similes (El. v. 1276. Hel. 1662).

Si ceteras fabulas, in quibus deus ex machina est, comparaveris, quanto opere Euripidi opus esse ea distinctione visum sit, manifestum erit. Ita in Iphigenia Taurica Minerva Thoantem appellat (v. 1435 *ἄναξ Θόας*), Orestem (v. 1446

*Ορέστα*), Iphigeniam (v. 1462 *Ἰφιγένεια*); a v. 1467 autem ad Thoantem illam conversam praecepisse aliquid veri simile est; excidisse enim quosdam versus omnes consentiunt; in ipsa extrema oratione iterum nominat et Orestem et Thoantem (v. 1471, 1474). In Supplicibus eadem primum Theseum appellat (v. 1183 *Θησεῦ*), deinde filios Argivorum (v. 1213 *παισὶ δ' Ἀργείων λέγω* et v. 1216 *Αἰγιαλεῦ*, v. 1218 *Διομήδης*). In Oreste Apollo primum alloquitur Menelaum et Orestem, nominibus additis (v. 1625 et v. 1628); deinde singulos quosque chiastice, priorem iterato nomine Orestem (v. 1644 et 1653), posteriorem Menelaum (v. 1660). In Hippolyto primum dea Theseum appellat, qui solus est in scaena (v. 1283, 1286), deinde cum prodiit Hippolytus, ad eum se convertit (v. 1389 *ὦ τλῆμον*). In posteriore orationis parte utrumque distinguere solet (*ὦ ταλαίπωρε* v. 1423, *ὦ τέκνον Αἰγέως* v. 1431, *Ἱππόλυτε* v. 1436). In Helena Castor et Pollux appellant Theoclymenum (v. 1643), Helenam distinguunt (v. 1662 *συγγόνῳ δ' ἐμῇ λέγω*). In Andromacha autem solus appellatur Peleus (v. 1231), in Electra solus Orestes (v. 1238), sed additis nominibus uterque. De Bacchis denique inter omnes constat priorem patrem orationis Bacchi, qua Agauen ejusque sorores allocutus esse videtur, una cum postremis Agaues verbis excidisse.

Apparet igitur, sive una persona, ut in Andromacha, Helena, Iphigenia Taurica, sive complures in scaena sint, ut in Hippolyto, Supplicibus, Electra, Oreste, Bacchis, semper deum ex machina distinguere eos, quibuscum loquatur, non confundere, ut in Ione.

Idem cadit in Philoctetae Sophocleae v. 1436 et 1437 *φυλάσσετον οὗτος σὲ καὶ σὺ τόνδ'· ἐγὼ δ' Ἀσκληπιὸν παυστῆρα πέμψω σῆς νόσου πρὸς Ἴλιον*. Quis enim est qui fieri posse sibi persuadeat, ut Sophocles sic locutus sit, cum *σὲ* et *σὺ* referatur ad Neoptolemum, *σῆς* ad Philoctetam. Accedat igitur haec ad eas, quae ab hominibus literatis de his versibus commemoratae sunt, suspicionis causas, praesertim cum temere v. 1437 repetatur, quod v. 1424 jam dictum est, forma *Ἀσκληπιδῶν* autem in v. 1333, quae videbatur suspecta, defendatur a G. Meyero (Gramm. Gr. p. 157).

ἐπεὶ δ᾽ ἀνεῴχθη πρᾶγμα μηνυθὲν τόδε,
θανεῖν σε δείσας μητρὸς ἐκ βουλευμάτων
καὶ τήνδε πρὸς σοῦ, μηχαναῖς ἐρρύσατο. 1565

Ut in v. 666 *σιγᾶν, δμωίδες, λέγω τάδε* quo referatur hoc *τάδε*, non est obscurum, ita quo v. 1563 *πρᾶγμα τόδε*, minime est dilucidum. Quid enim ab ancillis est patefactum? Nimirum Xuthi filium esse Ionem, non Creusae (v. 534, 774, 787). Ergo *πρᾶγμα τόδε* refertur ad unum illud *δίδωσι δ᾽ οἷς ἔδωκεν*, non ad id, quod maximum est, *ὡς ἥδε τίκτει σ᾽ ἐξ Ἀπόλλωνος πατρός*. Sed offendunt etiam ea, quae sequuntur. Primum enim *μηχαναῖς ἐρρύσατο* quamquam abesse non videtur ab Aeschylea loquendi consuetudine (v. Eum. v. 82, ubi idem Apollo Oresti *μηχανὰς εὑρήσομεν ὥστ᾽ ἐς τὸ πᾶν σε τῶνδ᾽ ἀπαλλάξαι πόνων*, coll. Suppl. v. 1040. Sept. v. 191), tamen minus est aptum hoc loco, cum *μηχανή* in plurali utique numero apud Euripidem semper idem sit quod dolus (cf. v. 833, 1216, 1326. Hipp. 481, 1305. Troad. 10. Hel. 610. Andr. 66. 85. Iph. A. 413. Iph. T. 112), ut *μηχάνημα* (v. 1116. Herc. f. 855). Deinde hic quoque nequicquam timet deus, qui cum omnia sciret, tum quoque non poterat ignorare, ne minimam quidem esse timoris causam. Denique quasnam ex ipsa fabula scimus fuisse illas dei *μηχανάς*? Et Pythiam quidem poeta facit dicentem *dudum* ab Apolline rem ita esse institutam, ut suo tempore cistella e templo efferretur, unde fit, ut Ion Creusam agnoscat (v. 1347 *ἐνθύμιόν μοι τότε τίθησι Λοξίας*). Ionis vero conservati causa a religione adulescentis sacrarii repetitur: *ὁ δ᾽ ὡς ἐν ἱερῷ μάντεσίν τ᾽ ἐσθλοῖς τραφεὶς οἰωνὸν ἔθετο* (v. 1190). Quod ut multo pulchrius est et aptius, ita *σκαιὸς* videretur qualis hic fingitur deus, si ejus instinctu Ionem illud fecisse diceret Minerva.

ἔμελλε δ᾽ αὐτὰ διασιωπήσας ἄναξ 1566
ἐν ταῖς Ἀθήναις γνωριεῖν ταύτην τε σὴν
σέ θ᾽ ὡς πέφυκας τῆσδε καὶ Φοίβου πατρός.

Hos versus Herwerdenus transponendos putat et post v. 1562 collocandos. Quod si fieret, viderentur quidem res ordine exponi, ut primum de consilio dei, deinde de patefacta et mutata re sermo esset, sed oratio non minus esset obscura;

*αὐτά* enim quo esset referendum, minus esset dilucidum. De qua enim re ipse tacere, *διασιωπῆσαι*, Apollo voluit? Nempe de illo *ὡς ἥδε τίκτει σ' ἐξ Ἀπόλλωνος πατρός*, id quod ex iis quoque, quae sequuntur (v. 1567 et 1568), apparet. At quod, si Herwerdeni sententiam probaremus, sequeretur *πρᾶγμα μηνυθὲν τόδε*, refertur ad *δίδωσι δ' οἷς ἔδωκεν*. Sed utcunque se ea res habet, insunt his quoque in versibus nonnulla, quibus offendamur. Mitto versum 1566 ita esse compositum, ut quae necessitate quadam inter se cohaereant vocabula diremta sint caesura: *ἔμελλε δ' αὐτὰ ‖ διασιωπήσας ἄναξ κτλ.*; sed insolitum est *γνωρίζειν*, quod apud Euripidem omnibus locis idem valet quod agnoscere (ut Bacch. v. 1088, 1116, 1285. El. v. 630. Or. v. 379. Phoen. v. 142), ita usurpatum ut hic; Aeschyli quoque locus, Prom. v. 487, ubi Prometheus *κληδόνας*, inquit, *δυσκρίτους ἐγνώρισ' αὐτοῖς*, i. e. *ἔκρινα, ἡρμήνευσα*, diversus est. Neque minus mirum *ταύτην τε σὴν σέ θ' ὡς πέφυκας τῆσδε καὶ Φοίβου πατρός*. Insolenter enim videtur *σὴν* dictum pro *σὴν μητέρα* atque justo molestius non solum *τῆσδε* repetitur, sed omnino idem quod ante novem versus erat dictum *ὡς ἥδε τίκτει σ' ἐξ Ἀπόλλωνος πατρός*. Deinde quorsum omnino haec? Scilicet ne locus, ubi fabula agitur, mutaretur, Delphis *ἀναγνώρισιν* fieri oportebat, quemadmodum consilium de Ionis interitu non Athenis, ut initio Creusa voluit (v. 1021), perficiendum erat, sed Delphis. Quod ne fieret, minime est veri simile poetam ita rem instituisse, ut dei voluntas ad irritum videretur redacta esse ab hominibus ipseque deus turpiter irrisus. Nam quod placuit uni e diis, ne a diis quidem labefactari atque perverti luculentum est in Hippolyto exemplum. Quem quamquam ipsa Diana servatum vult, tamen et morti tradit Venus innocentem et Diana dicit: *θεοῖσι δ' ὧδ' ἔχει νόμος· οὐδεὶς ἀπαντᾶν βούλεται προθυμίᾳ τῇ τοῦ θέλοντος, ἀλλ' ἀφιστάμεσθ' ἀεί* (Hipp. v. 1328). Denique, id quod gravissimum est, si Minerva Apollinem diceret non potuisse perficere id quod voluisset, ejusdem verba (in v. 1615): *χρόνια μὲν τὰ τῶν θεῶν πως, εἰς τέλος δ' οὐκ ἀσθενῆ* paene ridicula essent. Itaque Mercurius, qui in prologo pronuntiat id, quod non fit in fabula, Apollinem dicturum Ionem esse filium Xuthi, *μητρὸς ὡς ἐλθὼν δόμους γνωσθῇ Κρεούσῃ, καὶ γάμοι τε Λοξίου κρυπτοὶ γένωνται* (v. 71), non magis est pro-

bandus quam Minerva Apollinis consilia confitens a mulierculis ad irritum esse redacta.

Deinde poeta pergit:

> *ἀλλ' ὡς περαίνω πρᾶγμα καὶ χρησμοὺς θεῷ,*
> *ἐφ' οἷσιν ἔζευξ' ἅρματ', εἰσακούσατον.*

In libris enim *θεῷ* videtur esse; *θεῶν* autem, quam conjecturam Nauckii esse Witzschelius dicit, Herwerdenus quoque recepit. Quodsi *θεῷ* legeris, id ad *περαίνω* erit referendum; quod propterea fieri non potest, quod neque *περαίνειν χρησμοὺς* potest nisi qui de iis loqui coepit, et *εἰσακούσατον* sine objecto esse nequit. Neque *θεῷ*, id quod Musgravius putat, idem esse potest quod dei vice. Sin *θεῶν* probaveris, ut *χρησμοὺς θεῶν* referatur ad *εἰσακούσατον*, quamquam apud Aeschylum id ipsum legitur, ut Pers. v. 791 coll. v. 730, tamen Euripides cum, quid futurum sit, pronuntiantes inducit deos, ex *voluntate* vel deorum vel Jovis aut fati necessitate hoc fore dicit, ut Hel. v. 1660 *τοῦ πεπρωμένου θ' ἅμα καὶ τῶν θεῶν, οἷς ταῦτ' ἔδοξεν ὧδ' ἔχειν*, Or. v. 1656 *θανεῖν γὰρ αὐτῷ μοῖρα* (v. v. 1654 *πέπρωται*), ut Hel. v. 1669 *Ζεὺς γὰρ ὧδε βούλεται* (Andr. v. 1269), ut El. v. 1248 *ἃ μοῖρα Ζεύς τ' ἔκρανε σοῦ πέρι* (v. Soph. Phil. v. 1415 *Διὸς βουλεύματα*). Oraculis autem, quid vel faciendum vel futurum sit, apud Euripidem soli e diis pronuntiant Apollo, Juppiter (v. 681 *πρόμαντι* et *χρησμὸς Διός*, Bacch. v. 1333, ut apud Aeschylum, Eum. v. 19, 606, 703, et Sophoclem, Oed. R. v. 151), Bacchus (Hec. v. 1267). Atque aptissime hoc loco de Apollinis oraculo dicturum fuisse poetam apparet. Itaque si esse aliquid illa verba vis, aut cum Scaligero *θεοῦ* aut legendum est *Διός*. Nam Heathii *εἰσηκούσατον*, unde quanta difficultas inesset in his verbis, eum intellexisse apparet, nullo modo potest probari. Sed in altero quoque versu est quod minus perspicue videatur dictum. Ut enim concedamus, librorum *ἐφ' οἷς ἐζεύξασθ'* aut *ἐζεύξαθ'*, cum a metricis legibus atque a re abhorreat, bene correctum esse a Scaligero, tamen dubitaverim, num ea consentiant cum iis, quae dea antea dicit. Cum enim ab Apolline se missam esse dixerit, ut illius mandata nuntiet, quis sit Ion cujusque filius, nunc dicit se advenisse ad deorum oracula pronuntianda. Duabus igitur cau-

sis currum eam junxisse apparet, id quod Euripidem non praetermissurum fuisse certum est. Distinxisset enim mandata Apollinis a vaticinio quod dicit divino vel ita, ut diceret *καὶ ταῦτα μὲν τὰ Λοξίου* vel *σοὶ μὲν τάδ' εἶπε Λοξίας· χρησμοὺς δ' ἔτι* vel alio modo (v. El. v. 1276. Iph. Taur. v. 1442. Suppl. v. 1213. Hel. v. 1662).

Sequuntur vero deinceps non oracula deorum, quae usque a v. 1575 refert Minerva, sed jussa; nam quod Creusam Athenas proficisci jubet filiumque in regio solio collocare, ea ipsa est deorum voluntas. Quanto aptius autem oratio instituta sit in aliis fabulis, videbis, si comparaveris unum Electrae locum (v. 1247), ubi Castor et Pollux ad Orestem conversi dicunt *τἀντεῦθεν δὲ χρὴ πράσσειν ἃ μοῖρα Ζεύς τ' ἔκρανε σοῦ πέρι. Πυλάδῃ μὲν Ἠλέκτραν δὸς ἄλοχον εἰς δόμους κτλ.* In Ione autem Minerva haec dicit:

*λαβοῦσα τόνδε παῖδα Κεκροπίαν χθόνα* 1571
*χώρει, Κρέουσα, κὰς θρόνους τυραννικοὺς*
*ἵδρυσον· ἐκ γὰρ τῶν Ἐρεχθέως γεγὼς*
*δίκαιος ἄρχειν τῆσδ' ἐμῆς ὅδε χθονός.*

Xutho autem quid fiat? Vivone etiamtum rege Creusa adulescentulum debeat *εἰς θρόνους τυραννικοὺς ἱδρῦσαι?* Nonne aptius aut mortem regis manere eam juberet, ut Neoptolemus mansit Pelei (Andr. v. 22), aut sua sponte Xuthum regnum concedere Ioni, ut Cadmus Pentheo (Bacch. v. 43)? Nonne aptius Minerva diceret *δόμους*, sicut Creusa (v. 1540) *εὐεργετῶν σε Λοξίας εἰς εὐγενῆ δόμον καθίζει?* At poeta omissis quae minus videntur gravia, hoc unum agit, ut de divina Ionis atque ipsorum origine spectatores admoneat. Eadem de causa fit, ut quid statim faciendum sit, hic non praescribat, sed addenda videantur in fine orationis aliqua praecepta, quamquam non nimis apta. Ceterum in v. 1574, quod in utroque est libro *τῆσδε*, nisi quod in altero supra scriptum est *γ'*, id cum scaena sit Delphis, non Athenis, Lentingius (ad Med 706) recte mutavit *τῆς* restituendo.

Sequitur a v. 1575 usque ad v. 1594 ipsum vaticinium.

*ἔσται δ' ἀν' Ἑλλάδ' εὐκλεής· οἱ τοῦδε γὰρ*
*παῖδες γενόμενοι τέσσαρες ῥίζης μιᾶς*

ἐπώνυμοι γῆς κἀπιφυλίου χθονὸς
λαῶν ἔσονται, σκόπελον οἳ ναίουσ᾽ ἐμόν.
Τελέων μὲν ἔσται πρῶτος· εἶτα δεύτερος....
Ὁπλῆτες Ἀργαδῆς τ᾽ ἐμῆς τ᾽ ἀπ᾽ αἰγίδος
ἔμφυλον ἕξουσ᾽ Αἰγικορῆς· οἱ τῶνδε δ᾽ αὖ
παῖδες γενόμενοι σὺν χρόνῳ πεπρωμένῳ
Κυκλάδας ἐποικήσουσι νησαίας πόλεις
χέρσους τε παράλους, ὃ σθένος τῇ ἐμῇ χθονὶ
δίδωσιν· ἀντίπορθμα δ᾽ ἠπείροιν δυοῖν
πεδία κατοικήσουσιν, Ἀσιάδος τε γῆς
Εὐρωπίας τε· τοῦδε δ᾽ ὀνόματος χάριν
Ἴωνες ὀνομασθέντες ἕξουσιν κλέος.

Cum tota fabula, quippe qua ita celebretur Atheniensis populus, ut haec quoque, ut Supplices in argumento, dici possit ἐγκώμιον Ἀθηναίων, tum maxime hoc vaticinio delectatos esse spectatores Athenienses veri simillimum est. Neque mihi quidem est dubium, quin si non verba, at res ipsius Euripidis sint adeoque haec sit necessaria pars fabulae, ut si abesset, casu quodam intercidisse videretur. Corrupta vero in hac quoque parte nonnulla. Et v. quidem 1577 alii aliter correxerunt. Quid autem aliud dicere potest Minerva, nisi a quatuor Ionis filiis eadem radice orituris quatuor Atticae terrae tribus ipsosque earum socios esse nomen tracturos? Hoc videtur contineri verbo κἀπιφυλίου, cujus prior pars compendio scripta librarios fefellit. Fortasse igitur legendum

ἐπώνυμοι γῆς τεσσάρων φυλῶν χρόνῳ
λαῶν τ᾽ ἔσονται.

Quo modo autem restituendi sint v. 1579 usque ad v. 1581, nemo adhuc demonstravit. Miram vero breviloquentiam ἐμῆς ἀπ᾽ αἰγίδος ἔμφυλον ἕξουσ᾽ Αἰγικορῆς jam Hermannus animadvertit et Herwerdenus. In tanta difficultate si quid licet suspicari, dicam, quem ad modum factum esse videatur, ut nunc legamus quod libris traditum est. Fuit enim qui filiorum quoque Ionis nominibus opus esse existimaret; quam ob rem cum aliquot versus composuisset, factum est ut servaretur primus ex his versibus, intercideret genuinus, quo ipse poeta Γελεόντων mentionem fecerat ut primae tribus; quam ceterae sequebantur, quarta his fere verbis: ἐμῆς τ᾽ ἀπ᾽ αἰγί-

*δος οὗ τοὔνομ᾽ ἕξουσ᾽ Αἰγικορῆς.* Ceterum monuerim ex hoc quoque loco apparere ineptissimum esse prologi v. 74. Qui enim in v. 1575 et 1586 recte celebratur ut auctor gentis Ionum, qui Asiam et Graeciam incolant, ibi appellatur unius *κτίστωρ Ἀσιάδος χθονός.* Praeterea animadvertendum, quam sit tumidum *τοῦδε* (i. e. *Ἴωνος*) *ὀνόματος χάριν Ἴωνες ὀνομασθέντες.* Apte enim et simpliciter in Hel. v. 150 Teucer se Cyprum petere jussum esse narrat *ὄνομα νησιωτικὸν Σαλαμῖνα θέμενον τῆς ἐκεῖ χάριν πάτρας*, apte in Andr. v. 20 dictum *λεὼς Θετίδειον αὐδᾷ θεᾶς χάριν νυμφευμάτων*, apte in Agathonis fragmento (apud Athen. l. XII p. 528 B) *ἔσχομεν κλέος, Κούρητες εἶναι κουρίμου χάριν τροφῆς*, sed tumidius quam grandius illud *ὀνομάζεσθαι ὀνόματος χάριν.*

Deinde sequitur vaticinium de Xuthi et Creusae prole.

*Ξούθῳ δὲ καὶ σοὶ γίγνεται κοινὸν γένος,*
*Δωρὸς μέν, ἔνθεν Δωρὶς ὑμνηθήσεται*
*πόλις· κατ᾽ αἶαν Πελοπίαν δ᾽ ὁ δεύτερος*
*Ἀχαιός, ὃς γῆς παραλίας Ῥίου πέλας*
*τύραννος ἔσται, κἀπισημανθήσεται*
*κείνου κεκλῆσθαι λαὸς ὄνομ᾽ ἐπώνυμος.*

Ne in hac quidem parte desunt quae minus laudabilia videantur, quamquam *γίγνεται* praesens media inter futura positum defendi putaverim si non Hipp. v. 47 *ἀπόλλυται*, at El. v. 1265 *ἐκσῴζουσι*, ubi futurum a Porsono propositum non est receptum ab aliis. Vid. Schneidewinum ad Soph. Phil. 113. Sed postquam suum Creusa nacta est filium, postquam de Ionis quoque prole praedixit dea, nonne dicendum erat *ne* Xutho *quidem* e Creusa suam progeniem esse defuturam? *γίγνεται δὲ καὶ Ξούθῳ καὶ σοὶ κοινὸν γένος?* Denique minus concinne in v. 1591 positum *κατ᾽ αἶαν Πελοπίαν*, cum id ad *γίγνεται* non possit referri, ut refertur *ὁ δεύτερος Ἀχαιός.*

Sequuntur deinceps haec:

*καλῶς δ᾽ Ἀπόλλων πάντ᾽ ἔπραξε· πρῶτα μὲν*
*ἄνοσον λοχεύει σ᾽, ὥστε μὴ γνῶναι φίλους·*
*ἐπεὶ δ᾽ ἔτικτες τόνδε παῖδα κἀπέθου*
*ἐν σπαργάνοισιν, ἁρπάσαντ᾽ ἐς ἀγκάλας*
*Ἑρμῆν κελεύει δεῦρο πορθμεῦσαι βρέφος*
*ἔθρεψέ τ᾽ οὐδ᾽ εἴασεν ἐκπνεῦσαι βίον.*

Laudibus igitur efferendum Apollinem Minerva censet, quod omnia recte instituerit. Sed incohat tantum laudationem, non absolvit; loquitur enim de rebus mediocri laude dignis, de clandestino partu Creusae et de infante Ione bis, ut e prologo et ex ipsa fabula scimus (v. 27, 46, 1345, 1355), Apollinis opera conservato, tacet autem de tertio, in quo versatus erat, mortis periculo, tacet de matre quoque ac infesti filii impetu defensa, cujus periculi commemorandi hic erat aptissimus locus, non supra v. 1564, tacet denique de eo, quod non poterat non laetissimum gratissimumque videri dei beneficium, quod post tanta rerum discrimina filius redditus est matri, mater filio. Et tamen *πάντα* dicit. De iis autem rebus, quas recte a deo esse institutas dicit, disserit paene ridicule, magisque esset risu digna, si recte interpretarentur illud *ἄνοσον*, quod Alcumenae fortasse Plautinae memores verterunt: sine dolore (v. Plaut. Amphitr. v. 879, 1100). Nam si sine doloribus eam peperisse voluisset dicere, vel *ἄνευ ὠδίνων* (v. 452) vel *ἀλγηδόνων* (Med. v. 1031. fragm. 900, v. 2) vel *λύπης* (ut Soph. El. 533) dicendum erat; ex eo autem, quod sequitur, *ὥστε μὴ γνῶναι φίλους* apparet, non agi de doloribus, sed de morbo *λεχοῦς* (El. v. 652), mulieris puerperio cubantis, *λόχια νοσήματα* quae dicit El. v. 656. Conf. Creusae verba in v. 1458 *τέκνον, οὐκ ἀδάκρυτος ἐκλοχεύει.* (Ceterum in antro Creusam peperisse filium cum compluribus fabulae locis ita demonstratur, ut nulla sit dubitandi causa, tum maximo eo, quod cum a v. usque 1489 quo modo facta sint omnia oratione persequatur, neque domi se infantem peperisse neque transtulisse in antrum dicit. Accedit ad hoc argumentum quod dicunt e silentio testimonium v. 949, quem non est quod spurium judicemus. Est vero spurius ut v. 1400, ita, qui in prologo legitur suspicionis pleno, v. 16). Omnino autem illud paene puerile: si enim omnia fabularum ejus generis miracula perscrutanda essent atque ad naturam revocanda, vel mirabilius esset illud, cujus in ipsa fabula mentio fit, quod de graviditate Creusae, quam *νόσον κρυφαίαν* paedagogus dicit minime se fugisse (v. 944), tamen et hic tacebat et omnes celabantur, non solum, ut in prologi v. 14 est, pater.

Sed memoratu digna etiam haec. Cum paedagogus interrogat Creusam v. 948 *τίς λοχεύει σ'*; quid hoc naturae con-

venientius? Quis vero est qui 'Apollinem credat ne dicam obstetricis munere functum esse, sed parturienti opem tulisse? Quis Minervam hoc dixisse in scaena? Nam λοχεύειν uno loco excepto (hymn. in Merc. v. 230 νύμφη ἐλόχευσε Διὸς παῖδα i. e. peperit) ubique idem valet quod in prosa oratione μαιεύεσθαι, quod λύειν ἐκ τόκων dicit Euripides El. v. 1128 vel ὠδίνων fragm. 697, v. 6 (v. El. v. 1129. Ion. v. 455, 1458. Troad. v. 602. Bacch. v. 3 al.). Hoc autem nemo ignorat esse munus Dianae, quae γυναικῶν λόχους ἐφορεύει (Aesch. Suppl. v. 647), quae τὴν λοχείαν εἴληχε (Plat. Theaet. p. 149 B), quam ipse Euripides celebrat ut εὔλοχον, λοχίαν (Hipp. v. 166. Suppl. v. 958. Iph. T. v. 1098). At Herwerdenus dicit, λοχεύειν hic sensu factitivo esse usurpatum, ut idem sit quod ποιεῖ λοχεύεσθαι. Quod si ita intellegendum putaveris, ut Dianae ope ut Creusa pareret, curavisse Apollinem poeta dicat, tamen ne hoc quidem videtur veri simile. Veri similius est Euripidem, si hoc voluisset dicere, mentionem quoque fuisse facturum Dianae, ut Neptunum in Iph. T. v. 1444 mare pacare dicit Minervae gratia, non ipsam Minervam.

De altera autem re, quam recte institutam ab Apolline Minerva praedicat, ipsa quoque Pythia Apollinis instinctu id factum esse dicit (v. 1343). Sed quod mori eum, quem ipse genuerat, non est passus, num ideo laude dignus esse videbatur? Qui nisi conservasset a matre misera expositum, omni misericordia non divina solum, sed etiam humana caruisset. Denique ne ἔθρεψε quidem et εἴασεν ἐκπνεῦσαι βίον satis apte inter se sunt opposita; aptum esset aut ἔσωσε aut ἐκπεσεῖν δόμων, ut est in prologo (v. 48).

Postrema haec monet dea:

> νῦν οὖν σιώπα, παῖς ὅδ' ὡς πέφυκε σός, 1601
> ἵν' ἡ δόκησις Ξοῦθον ἡδέως ἔχῃ
> σύ τ' αὖ τὰ σαυτῆς ἀγάθ' ἔχουσ' ἴῃς, γύναι.

Et hic quidem parum magis offendit quam nimium. Ut enim dea, quid nunc Creusae faciendum sit, praecipit, ita utrum res Athenis quoque reticenda sit an detegenda, omittit praecipere, cum alia atque minus gravia, quae post reditum in urbem illi facienda sint, jam antea praeceperit (v. 1572). Quid? quod hoc consilio, quo Xuthum etiamtum de ea re

celandum suadet, fit ut illa augeatur difficultas. Deinde Lessingio quidem, qui quanta incommoda orta sint e veterum choro, hoc exemplo demonstraturus: qui, inquit, postulat, ut quod coram tot hominibus atque mulieribus quidem pronuntiatum est, occultum maneat, is postulat id, quod fieri nequit (v. opp. in ed. Hempel. vol. XIII, p. 289), haud facile quisquam assentiatur (v. G. Hermannum in praef. p. XLIX). Potest autem quaeri, quam ob rem Xutho etiamtum decepto opus fuerit quidque intersit, utrum statim cognoverit rem an postea Athenis? Hic enim utique edocendus erat, quoniam in solio regio filium collocare post reditum supra Creusa jussa erat. Prudenter enim ille quidem et humanissime conjugem de reperto, quem suum esse credidit, filio celaturus erat (v. 656 et sqq.). Postquam vero Apollinis eum esse patefactum est, cur Creusa hoc diutius celaret maritum? Scilicet ut inani gaudio parumper delectaretur decepti mariti animus. Quid illiberalius, quid numine divino indignius hoc deae praecepto? Qua ne opus quidem erat fraude. Nulla enim erat aliis invidendi causa Xutho, quippe qui sibi quoque liberos fore edocendus esset. Eandem ob rem insipientiae reus est, qui v. 1603 composuit. Si enim erat quod Creusa metueret, ne si non taceret, periculum filii faceret, utrum tunc periclitaretur an Athenis, nihil intererat. Sunt vero singula quoque, quibus offendamur. Verba enim *ἡδέως ἔχειν* Herwerdenus idem valere dicit quod *τέρπειν*, sed num graecum sit *ἡ δόκησις ἡδέως ἔχει τινά*, valde videtur dubium. In v. 1603 autem minus videtur poeticum *τὰ ἀγαθὰ*, quo multo aptius esset *τὰ φίλα*, ut v. 523 et 613, vel *φίλτατα*, ut v. 521 (v. Lenting. ad Med. v. 16), vel unum *τὰ σαυτῆς*. Ceterum fatendum, prologi quoque *τὰ πρόσφορα* (v. 73), quod idem esse quod convenientia, apta apparet ex Hec. v. 429, 508, 830, 1299. Heracl. v. 480. Suppl. v. 338, 942. Iph. Aul. v. 1603. Troad. v. 304, satis esse alienum a poetica oratione.

Valere eos denique jubet Minerva his versibus:

*καὶ χαίρετ᾽· ἐκ γὰρ τῆσδ᾽ ἀναψυχῆς πόνων*
*εὐδαίμον᾽ ὑμῖν πότμον ἐξαγγέλλομαι.*

Sollemne hoc solatium, ut Suppl. v. 615 *κακῶν δ᾽ ἀναψυχὰς θεοὶ βροτοῖς νέμουσιν* (v. Hel. 1094, fragm. 904, 13) et

in fine fabulae El. v. 1291 *εὐδαιμονήσεις τῶνδ' ἀπαλλαχθεὶς πόνων*, Soph. Phil. v. 1421 *καὶ σοί, σάφ' ἴσθι, τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν, ἐκ τῶν πόνων τῶνδ' εὐκλεᾶ θέσθαι βίον*, Eur. Or. v. 1659 *ὁ δ' ἐπιών νιν βίοτος εὐδαίμων μένει.* Atque potuit quidem dicere *ἐκ γὰρ τῶνδ' ἀναψυχὴν πόνων κεὐδαίμον' κτλ.* aut quod Nauckius in editione tertia scripsisse poetam putat *ἐκ γὰρ τοῦδ' ἀναψυχὴν πόνων κεὐδαίμον' ὑμῖν πότμον ἐξαγγέλλομαι.* Sed aliis tumiditatis, quae in bac parte fabulae insunt, exemplis dignius videtur quod libris traditum est.

Orationem dei ex machina sequi solet hominum et chori consensus aut obsequium aut ut ignoscatur deprecatio. V. Iph. T. v. 1475, 1494. Or. 1670, 1675, 1679, 1680. Andr. 1674. Hel. 1680 (nisi locus spurius est). Suppl. 1227. Hipp. 1442. Soph. Phil. 1447, 1448. Bacch 1344. Hoc in Ione quoque fit, sed minus recte. Prior enim Ion:

*ὦ Διὸς Παλλὰς μεγίστου θύγατερ, οὐκ ἀπιστίᾳ* 1606
*σοὺς λόγους ἐδεξάμεσθα· πείθομαι δ' εἶναι πατρὸς*
*Λοξίου καὶ τῆσδε· καὶ πρὶν τοῦτο δ' οὐκ ἄπιστον ἦν.*

Postrema recte dicit Herwerdenus absurda. Nam adulescentem quidem poeta facit Ionem, tam puerilia loquentem facere non potuit. Cur enim, si res veri tam similis erat, stultissimus iste non credidit? Corruptum autem versum ostendit vel inauditus, ubi *δέ* positum est, locus. Diversa enim, opinor, omnia sunt exempla hujus particulae post tertium ab initio verbum positae, ut Hel. v. 284 *τὼ τοῦ Διὸς δὲ. . . Διοσκόρω.* Phoen. 556 *τὰ τῶν θεῶν δ' ἔχοντες.* Troad. 742 (v. suspectus) *ἡ τοῦ πατρὸς δέ σ' εὐγένεια*, Ion. 1187 *ἐν χεροῖν ἔχοντι δέ*, ut Hel. 1031. Hipp. 835. Iph. T. 105, 380. Bacch. 269. Herc. f. 1249. Aesch. Choeph. 925. Sept. 176, 193, 499, 582. Prom. 321. Pers. 740. Soph. O. R. 1282. El. 426. In his enim aut articulo arctius cum substantivo cohaerente aut praepositione excusatur ut hujus *δέ*, ita particulae *γὰρ* trajectio. Similis et ratio ejus generis locorum, quales sunt Aesch. Prom. 562 *θεῶν θελόντων ἂν δ' ἀληθεύσαιμ' ἐγώ*, Pers. 719 *πεζὸς ἢ ναύτης δὲ πεῖραν τήνδ' ἐμώρανεν τάλας;* Eur. Ion. 731 *ὃ μὴ γένοιτο δ', εἴ τι τυγχάνοι κακόν.* Hac enim in re ratio oratoria fortior quam syntactica, ut in *Μενέλαε, σοὶ δέ*, de quo v. Porson. ad. Med. v. 614 cum Schaeferi adnot. Quare

hunc versum mutandum censuerunt suasitque Dobraeus, ut legatur *κεἰ πρὶν τοῦτ' ἄπιστον ἦν ἐμοί*, Porsonus *καὶ πρὶν ποῦ*, G. Hermannus *καὶ πρὶν γοῦν*, Badhamus, Musgravii conjectura *ἐπεὶ πρὶν ποῦ τόδ' οὐκ ἄπιστον ἦν* usus, *κεἰ πρὶν ποῦ κτλ.*, Herwerdenus denique *Λοξίου καὶ τῆσδε μητρός, κεἰ πρὶν οὐκ εὔπιστον ἦν*. Proposuerim id, unde quo modo corruptus sit versus magis eluceat, *κεἰ πρὶν αὐτὸ τοῦτ' ἄπιστον ἦν*. De *αὐτὸ τοῦτο* v. Hel. 305. Andr. 42, 916. Bacch. 959. Iph. A. 1351. Or. 665, 1177. Troad. 648, 955. Hipp. 419. fragm. 111,3. 775,8. Soph. Phil. 77. 438.

Tum Creusa hisce verbis respondet:

*τἀμὰ νῦν ἄκουσον· αἰνῶ Φοῖβον οὐκ αἰνοῦσα πρίν,*
*οὕνεχ' οὗ ποτ' ἠμέλησε παιδὸς ἀποδίδωσί μοι.*
*χαίρετ' εὐωποὶ πύλαι μοι καὶ θεοῦ χρηστήρια,*
*δυσμενῆ πάροιθεν ὄντα. νῦν δὲ καὶ ῥόπτρων χέρας*
*ἡδέως ἐκκρημνάμεσθα καὶ προσεννέπω πύλας.*

Recte jam Heathius monuit Creusam modo a Minerva edoctam non ignorare a Phoebo quidem filium suum minime esse neglectum; quare *ἠμέλησα* proposuit. Poterat vero ipsam neglectam dicere ut Antiope in fragm. 207, poterat *οὔ ποτ' ἐστέργησε* dicere, id quod cum *ἀποδίδωσι* apte congrueret, poterat denique, quae Herwerdeni est sententia, *οὕνεκ' οὔποτ' ἠμέλησε παῖδ' ὃν ἀποδίδωσί μοι* vel *παιδὸς ἀποδίδωσί τε*. Deinde incertum quidem est, utrum valere jubeat templum foresque ejus abitura, ut Hippolytus (v. 1097), Electra (v. 1334), Polynices (Phoen. v. 631), ut Philocteta Sophocleus (v. 1452), an salvere aditura; neque enim additum est vel *ὕστατον* vel *λοίσθιον* vel, ut in Philocteta, *στείχων*. Sed pro librorum *αἴδε τ'* necessarium videtur *χαίρετ'*, quod et mihi in mentem venit (conf. Ann. Phil. t. XCVII p. 412—415) et ante me Kirchhoffio quodque Herwerdenus quoque satis dicit probabile; ut enim *μοι*, ita *δυσμενῆ* flagitare videtur illud *χαίρετε*. Quod denique muliercula gaudio exultans bracchia, nam manus nullo modo dicere poterat, suspendere se ex ansis dicit, id tumidissimi cujusque poetae esse, non Euripidis, nemo opinor infitiabitur.

Quae insequuntur verba Minervae

ᾔνεσ᾽ οὕνεκ᾽ εὐλογεῖς θεὸν μεταβαλοῦσ᾽· ἀεί ποτε
χρόνια μὲν τὰ τῶν θεῶν πως, εἰς τέλος δ᾽ οὐκ ἀσθενῆ 1615

et ipsa manifesto ostendunt, non ferendos esse v. 1563 usque ad 1568. Ut enim illa est Euripidis sententia, ut e Philoctetae ejus fragmento apparet (fragm. 797 θεοῖς . . ., ὡς πᾶν τελοῦσι, κἂν βραδύνωσιν, χρόνῳ, coll. Bacch. v. 882. Herc. f. v. 759), ita quae dea supra narraverat Apollinem initio sibi proposuisse, ea non solum non erant εἰς τέλος οὐκ ἀσθενῆ, sed indicio chori ad irritum redacta.

Deinde Creusa hortatur filium, ut domum redeant:

ὦ τέκνον, στείχωμεν οἴκους,

hortatur dea quoque, ipsam comitaturam eos pollicetur:

στείχεθ᾽, ἕψομαι δ᾽ ἐγώ. 1616

Hoc enim valere ἕψομαι, non sequar, ea ostendunt, quae Ion respondet,

ἀξία γ᾽ ἡμῶν ὁδουρός, 1617

nisi forte hunc verba deae perperam intellexisse putabis. At dea ipsa paullo ante (v. 1604) valere eos jusserat. Qui autem discedere jubent alios, discessuris valere dicunt, ii una cum his non solent proficisci. Non est dubium, quin deus quisquam dicere potuerit se aut prosecuturum esse suos aut adfuturum illis, ut Vergiliana Venus: nusquam abero, dicit (Aen. II, 619), ut in Iphigenia Taurica ipsa Minerva συμπορεύσομαι δ᾽ ἐγώ, σῴζουσ᾽ ἀδελφῆς τῆς ἐμῆς σεμνὸν βρέτας (v. 1488), ut in Helena Castor et Pollux σωτῆρε δ᾽ ἡμεῖς σὼ κασιγνήτω διπλὼ πόντον παριππεύοντε πέμψομεν πάτραν (v. 1664). Sed neque hi neque Minerva valere jusserant, quibus se adfuturos pollicentur. Apparet vero ex hoc loco luce clarius atque ita, ut reum confitentem nos habere dixeris, eundem poetam non potuisse hoc dicentem facere Minervam, qui eam fecerit dicentem καὶ χαίρετε. Displicent quoque ea verba Creusae, quibus absolvitur versus, καὶ φιλοῦσά γε πτόλιν.

Deinde quamquam Creusa postrema verba fecit, tamen Minerva iterum ad Ionem, quem ne hic quidem nomine ap-

pellat, orationem convertit, iterum eum, quasi nullus jam esset Xuthus, in regio solio considere jubet:

*εἰς θρόνους δ' ἵζου παλαιούς,*

cui ille respondet

*ἄξιον τὸ κτῆμά μοι,* 1618

ipse quoque misere oblitus Xuthi. Quam vero aliena sunt verba ejus a cothurno tragicorum poetarum! Postremo chori mulieres omissa Minerva, quae discessisse videtur, Apollinem illum, cui in conspectum suorum prodire non placuit, quem neque Ion neque Creusa ipsum allocuti erant, venerabundae valere jubent:

*ὦ Διὸς Λητοῦς τ' Ἄπολλον, χαῖρ'· ὅτῳ δ' ἐλαύνεται*
*συμφοραῖς οἶκος, σέβοντα δαίμονας θαρσεῖν χρεών·* 1620
*εἰς τέλος γὰρ οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσιν ἀξίων,*
*οἱ κακοὶ δ', ὥσπερ πεφύκασ', οὔποτ' εὖ πράξειαν ἄν.*

Quae qui legerit, nonne permirum ei videbitur, hoc dicere eundem chorum, qui hac ipsa in fabula quodam modo expleverit eas partes, quas praescribit choro Aristoteles (in poet. c. 18), *μορίον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι*, qui voluntatem dei eluserit, oraculo Apollinis primus fidem denegaverit, (v. 686), ad interficiendum Ionem hortatus, ut caedere eum contingeret, precatus sit (v. 1050)! At chori quoque mulierum mentes mirum in modum videntur conversae. Unum autem nullo modo licet negare, duos postremos versus in fine hujus quidem fabulae omni carere sensu. Nam si chorus nunc sibi persuasit, omnes esse probos, Xuthum certe *ἀξίων τυγχάνειν* non potest dicere. Scit enim huic quoque fore liberos; sed ne hoc quidem eum fugit, eum etiamtum esse de hac re celandum. Vana autem illa opinio non potest dici bonum: *ἡ δόκησις ἀνθρώποις κακόν*, dicit Euripides in Auges fragm. 279. Postremus autem versus, qui si comparaveris Herc. f. v. 727 *προσδόκα δὲ δρῶν κακῶς κακόν τι πράξειν*, vel Soph. El. 970 *ἔπειτα δ', ὥσπερ ἐξέφυς, ἐλευθέρα καλεῖ τὸ λοιπόν*, ne satis quidem dilucidus videbitur, propterea minus aptus est, quod ex omnibus fabulae personis ne unam quidem chorus improbam appellare potest.

Quodsi reputaveris, quam multa in extrema parte Ionis sint quae minime niteant, quae non conveniant cum oratione poetae atque consuetudine, quam e reliquis fabulis novimus, quae abhorreant ab ingenio ejus, quid reliquum est nisi ut fateamur, desinere in piscem mulierem formosam superne? Quod si confitendum videtur, quo modo rem explicandam credamus? Et mihi quidem persuasum est hoc nulla ratione fieri posse, nisi hac, ut extremam hujus fabulae partem invenisse putemus *διασκευαστήν*, qui non eruditionis solum, sed etiam jucunditatis gratia vario modo illam inculcandam atque reficiendam ratus sit. Inseruisse autem videtur versus 1558 et 1562, versus 1563 usque ad 1568 et 1595 usque ad 1600, cetera ita mutasse, ut quid poeta ipse scripserit, jam nullo modo possit expediri.

Quod autem dixi de formosa superne muliere, id quo modo intellegendum esse velim, inde apparet, quod, cum editis a G. F. Schoemanno a. MDCCCLIV scholiis in prologum Ionis, quid in eo minus recte se haberet, primum esset demonstratum, ego abhinc quindecim annis conatus sum probare, prologum illum ad nostram aetatem pervenisse a diorthota mutatum (in Nov. Annal. Phil. t. XCIX. p. 522). Qua de re fuerunt qui rationes meas repudiandas esse censerent, L. Eysertus, qui singulari libello defensoris partes suscepit (in Progr. gymn. Prag. a. MDCCCLXXX edito), et qui huic adstipulati sunt, N. Wecklinus (in Annal. Bursianianis, a. MDCCCLXXXI, p. 46) et S. Mekelius (in annalibus, qui inscribuntur Philologische Rundschau, a. MDCCCLXXXI, n. 24). Equidem ab Eyserto, qui unum v. 54 non ausus est defendere, in nonnullis rebus, quae minus graves mihi videntur, refelli me libenter profiteor. Mea enim non quis invenerit verum, refert, sed quid verum sit. Neque vero de summa re Eysertus mihi persuasit, neque aliis eum vel persuasisse video vel persuasurum puto omnibus. Ut enim Bernhardyus in tertia editione operis, quod historia literarum Graecarum inscribitur (vol. II, p. 2 p. 485), meam de prologo sententiam comprobavit, ita Klinkenbergius quoque et Enthovenius, philologi Bonnenses, quorum dissertationes de prologorum Euripideorum arte et interpolatione atque de Ione quaestiones selectae a. MDCCCLXXX editae nuper mihi innotuerunt, ita pro explorato rem habent, ut

interpolationes aperte agnoscat ille, hic de ipsa altera recensione prologi loquatur. Neque vero cum de aliis rebus tum de vaticinio Minervae consentio cum Enthovenio, neque de iis, quae contra Klinkenbergium et me disputat J. de Arnim (in dissertatione Gryphiswaldensi ed. a. MDCCCLXXXII p. 29 et 64). Sed brevitatis causa haec omitto. Satius est iterum redire ad primum hujus fabulae versum. Cum enim illam quam supra dixi supplendae in Philodemi libro lacunae inveni, unus in manibus erat A. Nauckii quem dixi libellus. Brevi post Fr. Buecheleri disputationem, quae in Nov. Ann. Phil. a. MDCCCLXV est (p. 522), satis autem multo tempore interjecto Th. Gomperzii Studiorum Herculanensium partem alteram, anno post editam, nactus sum. Novissimo denique tempore, cum haec jam in manibus typothetarum essent, casu factum est ut cognoscerem, Th. Bergkium jam in tertia editione Poetarum Lyricorum Graecorum, quae a. MDCCCLXVII prodiit, cum inter fragmenta Simonidea reciperet illum Philodemi locum, Euripidis quoque versum ita supplevisse, ut inter *χαλκέοις* et *νώτοις* interponeret *οὐρανόν*. Itaque suum illi reddere non moror; unum dico, eo magis certam me putare illam restituendi ejus versus rationem, quo minus dubium esse potest quin insolita verborum collocatio non ipsius sit philosophi, sed poetae.

Postremo, si tanti est, de altero quoque Ionis loco, qui in voluminibus Herculanensibus legitur (conf. A. Nauckii disp. in Misc. IV p. 170), pauca addam. Ut enim in v. 238 idem legitur quod in libris Euripideis, cum quae post *ἔχεις* est lacuna, unam literam T capiat, proxima autem sit O, cujus dextram partem evanuisse puncta a pictore addita indicio sunt, ita mihi certum videtur, in v. 237 aut errasse librarium aut aliam lectionem praebere quam quae in libris Euripideis est. Nam quod inter *ΓΕΝΝΑΙΟ¯* et *ΤΡΟΠΩΝ* interest spatium, id octo literas *HCCOIKAI* vix aut ne vix quidem capere manifestum est. Unde commendari videtur Boissonadii conjectura *γενναιότητος*. Neque vero post hoc vocabulum *τῶν*, quod Badhamus conjecit, locum habet et *καὶ* recte se habere Schoemannus demonstravit.

Scribebam Petropoli, Dec. m. a. MDCCCLXXXIII.

ALTENBURGI
TYPIS OFFICINAE AULICAE PIERERIANAE
(ST. GEIBEL ET SOC.)